# METHODVS TOTIVS CONTROVERSIAE VBIQVITARIAE breuis & perſpicua.

## IN VSVM STVDIOSÆ *Iuuentutis modeſtè inſtituta.*

DAVIDE PAREO AVTORE.

Casparus Achenbachius
Casp: Wittgensteinius
me suis annumerat
ao 648. 21 Junij

NEOSTADII PALATINORVM,
*Typis Matthæi Harniſch.*
cIↃ. IↃ. LXXXVI.

## AD PANTACHVM.

*Non de vi, neque veritate Christi;*
*Lis de Corporis est Vbiquitate:*
*Hanc verbo inficior Dei probari:*
*Hoc Ecclesia postulat doceri.*
*Tu prunas, cuneos, acinacesq́,*
*Candentes, titulosq́, grandiores*
*Maiestatis, & vnionis, & quid*
*Non? totas etiam vetustiorum*
*Magna voce sonas Patrum phalanges.*
*Mox & Nestorios & Arrianos,*
*Atque hostes Deitatis esse Christi,*
*Qui non ad stomachum tuum fatentur*
*Κοινότητ' ἰδιωμάτων realem,*
*Ignari auribus occinis popelli,*
*Iam de, Panthache, dic vbiquitate.*

# ILLVSTRIBVS ET GENEROSIS Dominis.

## D. HVLDRICHO, BARONI A KAVNIZ, DOMINO IN AVSTERliz & Zdaniz, &c.

## ET

## D. GODISLAVO SEV BOHVCHVVALO,

*Baroni à Nachod, Domino in Dannowiz, & VVoſckowſtein, &c. Dominis & Patronis ſuis benigniſſimis.*

COGITANTI MIHI DE VESTRO ad nos acceſſu, Illuſtres ac Generoſi Barones, ſimulq; conſideranti ſtatum conditionemq; hoc tempore noſtram, aliquoties in mentem venit memorabile fortitudinis Chriſtianæ exemplum illud, quod Ruffinus de Edeſſenis recitat. Hi cum Valentis tyrannide templis eiecti, in campo conuentus agere ſolerent, neq; ignorarent, miſſum ab Imperatore præfectum eſſe cum manu armata, qui eos poſtridiè opprimeret, nihilominus gregatim omnes manè ad locum conſuetum conuolarunt, currentes ac feſtinantes, tanquam vererentur ne qui deeſſent ad mortem. Ibi præfectus dùm ad lanienam proficiſcitur, fortè mulierem cum filio paruulo conſpicatus ita feſtinam & properam domo ſua prorumpere, vt nec clauderet oſtium, atque perculſus ſpectaculo, eam ad ſe adduci iubet, & quò, inquit, mulier infelix cum filio properas tàm feſtina? Tum illa, ad campum ait, quo Catholicus populus conuenit. At non, inquit ille, audiuiſti, præfectum omnes iam, quos ibi repererit, interfecturum? Audiui equidem, reſpondit mulier, & ideò feſtino, vt ibi ipſa etiam reperiar. Et quò, inquit, paruulum iſtum trahis? vt & ipſe, ait, martyrium conſequi mereatur. *Hiſtor. Eccleſ. lib. 2. cap. 5.*

Præclarum ſanè pietatis & conſtantiæ Chriſtianæ exemplum, cuius, inquam, mihi in vos intuenti aliquoties in mentem venit. Haud enim ſegnius vos etiam quaſi ad martyrij coronam nobiſcum capeſſendam properaſſe videmini, qui in hanc ſcholam & Eccleſiam noſtram extàm longinquis oris accedere non dubitaſtis hoc tempore, quando in eius perniciem non vnus tantùm Valens, ſed totus conſpirauit mundus: nec vnus tantùm ad oppreſſionem mittitur præfectus, ſed omnes, quotquot contra veritatẽ Antichriſti auſpiciis merent, emiſſarij, incendiarij, ſicarij, ſophiſtæ, ſimilesque furiæ publicè priuatimq; ſubmittuntur, vt profectò quotidiè nobis cogitandum ſit illud Tireſiæ Sophoclei.

*In Antig.* Φρόνει βιβῶς αὖ νυῦ ὅτι ξυροῦ τήχης: ac ſi hoſtium rabie & cruentis machinationibus ſalutem noſtram metiamur, hoc totum triennium, quo purior doctrinæ de Perſona & Cœna Domini noſtri Ieſu Chriſti profeſſio Palatinatui quaſi poſtliminio reſtituta fuit, mi'lies perierimus.

Romæ iampridem in nos ſtrinxit ſui anathematis fulmen ὀκνηρότατ⟨ον⟩ ille ſeruorum ſeruus, filius perditionis Antichriſtus: idem incendia ciuilium bellorum non modò ad Rheni ripas, ſed ad parietes vſq; noſtros per ſuos coniuratos iam produxit, & horribili furore vicinorum iugulis gladios cruentos tantùm, non in conſpectu noſtro quotidiè intentat.

Nihilo clementiùs Vbiquitaria factio nos tractat, quæ cum crudeliſſimo diſſidio tantum in nos odiũ exercet, vt non dicam Antichriſti Romani, & Ieſuitarum, ſed ipſorũ Conſtantinopolitanorum amicitiam citiùs quàm noſtram toleret ambiatq;: nec ſe illud aliter ſatiare poſſe oſtẽdit, quàm ſi, quod ſolum adhuc reſtat, crudelitatis ſuæ miniſtros inueniat, qui ferro flammaq; cauſſam eius nobiſcum diſceptent.

Et tantorum vos periculorũ obtutus nequicquam abſter-

absterruit? Sed venistis: nec venistis modò, sed alacribus animis, fortesq; hîc commoramini, quasiq; expectatis, communem experiri sortem nobiscum parati? nec expectatis modò, sed tùm ea, quam in capessendis ingeniorũ cultibus præstatis diligentia, tùm illo etiam mirifico concionum sacrarum studio, veræq; pietatis ardore, quo estis cõspicui, vniuersam vrbem aulamq; nostram in magnam traducitis admirationem? vt profecto hîc mihi in incerto sit, vestramné potius Generosam indolẽ suspiciam collaudemq;, an heroicam pietatem, excelsumq; animum Generosorum parentum vestrorum, quibus parum est, domi in Morauis, vetustis Marcomannorum sedibus, inter tot mundi odia, rerumq; discrimina, sanam & incorruptam Euangelij doctrinam patrocinio suo vindicare: ni etiam vos quasi testes obsidesq; sui cum harum Ecclesiarum fide consensus huc ablegarent.

Sed vicit in vobis omnem periculi metum cœlestis veritatis studium & professio. Huic enim vos totos consecrastis, cùm satis sciretis, ex ore Seruatoris Christi, eam optimo Dei consilio perpetuis mundi odiis premi, publicè traduci, & variis semper fortunæ telis propositam esse: opprimi tamen, conuelli, & expugnari nunquam. Quid enim in nobis desiderat Antichristus? & qua tandem caussa tantas in nos irarum minas infernus euomit? An nõ ea sola, qua Draco ille magnus, & antiquus serpens mulierem parturientem iam olim est persecutus? Quòd si enim bestiam, quę potestatem suam à Draconeaccepit, adorare vellemus, & seruituti illiorum, qui sanandæ lęthali eius plagæ σοφὰ φάρμακα ad vulgi applausum admonent, nos mancipari, sustineremus, hominum potiùs auctoritatem, quàm vnius Christi magisterium obseruantes: næ nos blanditiis suis egregiè, ὥσπερ ἐν κρατῆρι φιλοτησίῳ, mox demulceret mundus. *Ioh. 15. 20.* *Apocal. 12.*

At potiùs ruat ille, & fremat, vt lubet. Victoria quæ vincit mundum est fides nostra: ac si ξωὴ τῷ δικαίῳ μίγ' ἔξεστιν *1. Ioh. 5. 4.*

ἕξειν φρονεῖν: & Mens bona regnum est, vt Poëta loquitur: quid trepidabimus, aut minas istorum magnoperè extimescemus? Inuicta natura subitâ; sua veritas mole: nec contra eam portæ inferorum prævalebunt: quin imò, quantò premitur magis, tantò vires acquirit maiores; sicut de virtute præclarè dixit Aristoteles: ἐν ταῖς δυσχίαις διαλάμπει τὸ καλὸν. Et sicut tota Ecclesia in tot mundi tempestatibus, humanis viribus hactenùs non stetit: ita profectò fatendum nobis est, & nolint velint fateantur oportet inimici omnes, non sua clementia, nec nostra potētia, sed admirabili Dei Opt. Max. bonitate in omnibus adhuc terræ angulis residuos esse aliquos veritatis patronos & professores: nec humanum, sed diuinum planè opus esse harum præsertim Ecclesiarum quantulamcunque respirationem.

*Eth. lib. 1. cap. 10.*

Quare non est etiam, Generosi Barones, cur vos percellant istæ diaboli laruæ, quibus carnem nostram territat: quò minùs in cœpto pietatis studio, veræq; doctrinæ professione strenuè proficiatis, & proficere pergatis. Hoc potiùs cogitetis velim, diuino quodam consilio vos hoc dubio rerum statu ad nos appulisse, vt diuinæ etiam clementiæ ac potentiæ singularis spectatores essetis, atq; testes, cuius consideratione deinceps per totam vitam memineritis, quid sit è cælo tantùm pendere.

Nec est profecto, quòd ad labefactandos piorum animos tristem illam Edessenorum historiam pertinere, existimetis. Etsi enim horrendum est, audire Valentem Tyrannum rixantem cum suo præfecto, eundemq; pugno percutientem, quod non fuissent Christiani ex campo etiam, sicut iusserat, deturbati: triste etiam videre præfectum cum armata manu ad lanienam piorum proficisci: tamen vicissim nos consoletur admirabile illud diuinæ prouidentiæ exemplum, quòd non modò subitò vnius mulierculæ voce & constantia, præfecti illius armati conatus franguntur, sed eius etiam oratione Imperatoris vesania

sania sic expugnatur, vt à cæde Christianorum protinùs desistat. Ita nimirum consueuit Deus ὡς ἀπὸ μηχανῆς succurrere piorum saluti, & compescere hostium furores, quandò res sunt deploratissimæ.

Cæterùm non totum aut solum hoc est, quod in Ecclesias nostras machinatur Satan: sed, vt perpetuò duplex habuit satellitium, quo Ecclesiam pessundare conatus est: vnum Tyrannicum, externa vi potentiaq; armatum: alterum Sophisticum, ad mendacia, calumnias & Sycophantias compositum, priore illo longè pestilentius; siquidem verè Aristophanes dixit: οὐκ ἔν ἐστὶ συκοφάντου δήγματος: ità non cessat, Deo pro immensa sua bonitate, violentiam sanguinariorum adhuc reprimente, multos iam annos. Veram & orthodoxam de Persona Christi, & sacra Cœna doctrinam, quam ex verbo Dei hausimus, & cum rectè sentientib⁹ tàm vetustis quàm modernis Theologis profitemur atque defendimus, putidissimis mendaciis conspurcare, quibus eam non modò in odium vulgò adducat, sed & totam opprimat: & quidem id agit nunc multò, quàm hactenus, maiori conatu. Quoniam enim Bergensis Concordiæ paradoxa, de fictitia trium aut quatuor diuinorum idiomatum in carnem ἔκχυσει, seu, vt loquuntur, reali, abstractiua & non reciproca cum carne communicatione: de reali item corporis Christi in crustulis Eucharistiæ subsistentia: & orali eiusdem manducatione, piis iuxta & impiis communi, improbamus: antiquam verò Ecclesiæ doctrinam de communicatione idiomatum, de vtriusq; naturæ veritate & distinctis proprietatibus, deq; Spirituali carnis Christi in Cœna præsentia & participatione, constanter asserimus: Deus bone, quæ scommata, quas calumnias, quæ monstra mendaciorum Sophistæ maledici in nos non euomuerunt, & strinxerunt hactenus? Ad quæ licèt à nostris sepè non minus solidè quàm modestè pro veritate responsum sit: tamen cum Mæsones illi rem eò iam deduxerint, vt præter

ter satyrica ipsorum scommata, nihil in Ecclesiis audiri, legi & credi oporteat: hoc solùm profectũ est, vt quantò se premi cõstringiq; arctiùs veritate sentiunt; tantò nunc maiori cum rabie docti passim indoctiq; in Sacramentarios, quos vocant, debacchentur: nec vereantur ex Alcorani Azoaris in Cathedris ad vulgus declamitare, vt Arianas & Turcicas blasphemias à nobis defendi, tota Germania credat.

Ex his est Herdecanus ille, quisquis sit, terræ filius, Sycophanta omnium audacissimus, qui nuper emisso libello, ex falsissimis hypothesibus conflato, cum Tubingensium eiusdem monetæ præfatione, Arianorum, Mahumetanorum & Nestorianorum stercora, maiori, quàm quisquàm alius, impudentia nobis aspergere conatus est. Etsi autem non deerunt, qui os illud impudens compescant, si modò nõ indignum est, tàm crassa mendacia confutando, vel vnicam bonã horam malè perdere: maximè cùm inter plurimas Apologias nostrorũ extet doctissima illa Heidelbergensis Ecclesię, de vnico vero Deo in tribus personis, de persona Christi, & de cœna Domini Confessio, qua tàm putidæ calumniæ iam olim solidissimè sunt confutatæ: tamen hîc quæso pedem aliquantisper figamus: & quibus nixi rationibus Tubingenses horribili vlulatu quasi classicum dantes tragicè tandem exclament. *Hæc est veræ Turcicæ religio, fides, & confessio, quam Caluiniani nunc apertè profitentur: paucis dispiciamus.*

Repetunt primò ἀποστασίαν duorum leuissimorum hominum, qui ambitionis & inuidię œstro perciti, vt notum est, annis ab hinc sexdecim à nostris Ecclesiis ad Arianos transierunt.

Atqui sepiùs iam est responsum, ἀξίωμα falsum esse, quod assumunt; omnes esse hæreticos, ex quibus hæretici egrediuntur. Quid enim fieret sanctissimo Apostolorum collegio, ex quo non vnus modò Iudas, sed Nicolaitæ & Antichristi plurimi, Iohanne teste, prodierunt? An ideò

atro

tro notabunt calculo Ecclesiam primitiuã, quia ex medio eius sinu, Ebion, Cerinthus, Samosatenus, Arius, & omnes omnium hæreseων coriphæi exorti sunt? Quin potiùs cum Apostolo pro veteri & pro nostra Ecclesia respondemus: *Ex nobis egressi sunt, quia ex nobis non erant: nam si fuissent ex nobis, mansissent vtiq; nobiscum: sed hoc factum est, vt paterent non omnes esse ex nobis.* Itaq: ipsi apostatæ perfidia sua doctrinam nostram ab hac calumnia satis vindicarunt. Si enim eramus Ariani, non erat, cur à nobis ad illos deficerent. At ἀποστασία est ab vna parte ad aliam dissidentem consultò facta discessio. Denique secum Vbiquitarij habitent, & cogitent, quorum fraterculi fuerint Fran. Dauidis: Chr. Francken, & alij tàm Arianæ sectæ, quàm Pontificiæ Idolomaniæ defensores: sic æquo Marte facilè ex hoc campo discedemus. 1. Ioh. 2. 19.

Secundò, negare nos inquiunt, in Christum Hominem confidendum: ac docere, non ad Christum hominem, sed ad solam Deitatem adorationem religiosam dirigendam esse: eò quòd ad creaturam dirigere inuocationem, siue in Vnione, siue extra Vnionem personalem, Idololatria & blasphemia sit.

Hæc calumniosè & sophisticè in nos dicuntur. Nemo enim vnquam ex nostris dubitauit, in Christum Hominem confidendum, eundemque religiosa λατρεία colendum & inuocandum esse, cùm sit verus & æternus Deus. Neque D. Danæus, qui hanc litem cum ipsis agitauit, solam Deitatem adorandam: sed solam Deitatem propriè & per se caussam atque obiectum adorationis esse: carnem verò etiam adorari quidem eadem cum λόγῳ adoratione propter Vnionem, tanquàm Filij Dei carnem; per se autem, quatenùs caro & creatura est, non adorabilem, sed adorantem naturam esse, cum Cyrillo scripsit. Hæc si Turcica doctrina est, Turcę fuerunt Augustinus, Damascenus & pleriq; Patres: & Turcæ sunt Apologetæ Erfurtenses, qui totidem verbis, in eandem prorsus cum D. Da- *Ad Theod.*

Apolog. pa. 21. næo ſententiam, inquiunt: *Dicimus ac docemus carnem ſeu aſſumtam humanam naturam Chriſti, abſolutè & ſecundùm ſe etiam in ipſa Vnione perſonali, quatenus quidem nuda creatura eſt, conſideratam, adorari nec poſſe nec debere.* Hæc profectò eſt, ipſiſſima D. Danæi de adoratione ſententia, quæ aliis nullis, quàm quibus ipſe eſt vſus, rationibus, defendi poteſt. Quod ſi Turcica hæc fides eſt, cur eam Apologetæ profitentur? Si Orthodoxa, cur eam iſti vt Turcicam ſuggillant? Et qua tandem conſcientia Hypocritæ iſti de adoratione carnis Chriſti diſputant, quam in pane Euchariſtico adorare nolunt? ſed de adoratione plura in Methodo.

Addunt tertiò, nos tropum fingere in phraſi: Homo eſt Deus: & ſub vocabulo Homo, non verum hominem ſed Deum intelligere: eóque negare, hunc Hominem Ieſum Mariæ Filium eſſe Deum, quod Turcicus Alcoranus apertè faciat: eoque ex Chriſto Deum tropicum facere.

Hæc inſulſiſſima etiam calumnia eſt. Tropum noſtri in hac phraſi: Homo eſt Deus, alium nō agnoſcunt quàm etiam in hac: Homo Chriſtus eſt æternus, ante Abrahamum, immenſus &c. & in his: Deus eſt Homo: ex ſemine Abrahami, crucifixus, mortuus: nempe, τρόπον ἀντιδόσεως, Damaſcenum ſecuti, qui vt ipſi aduerſarij notunt, prolixè docet, cum alterius naturæ vel denominatio vel proprietas alteri tribuitur, idque in concreto: τρόπον hunc eſſe ἀντιδόσεως ſeu alternatæ attributionis vtriuſque naturæ, alterutri propria viciſſim reddentis propter ἑνοποίησιν identitatem.

Lib. 3. cap. 4. orth. fid.

An verò propterea Chriſtus erit Deus tropicus? Quid ſi nos colligamus ex ipſorum ſententia, Chriſtum eſſe Deum inuſitatum, eoque improprium & figuratum: quia phraſis illa ipſis inuſitata eſt? Inuſitata autem reuera eſt impropria eoq; figurata. Quis huiuſmodi collectionem non videat habere fallaciam accidentis, dùm à σχέσει attributi & ſubiecti, quæ eſt logicum prædicationis πάθος,

ad

ad rem ipsam proceditur, & χέσις illa cum attributo commiscetur? Sic ineptè diceretur: Homo est animal proprium: Herodes est vulpecula figurata: quia prædicatio prior propria, posterior figurata est, &c.

Sed missis tropis, & inusitatis prædicationibus, sub quarum clypeo oralis manducatio contra consilium autoris iam sibi receptum parat, libenter assentior Thomæ, phrases de Filio Dei ad proprias reuocanti, propter idem naturæ humanæ & ὑπαρκτέως λόγῳ suppositum: Vnde liquet, vocabulum (Homo) in phrasi: Homo est Deus, nec humanam tantùm naturam, vt Eytiches & Vbiquitarij volunt, nec tantùm diuinam, vt calumniantur, sed ὑφιστάμενον vnum in duabus naturis essentialiter subsistens, quod est Persona Christi, significare: qua de re non est hic pluribus disserendi locus. *In lib. 3. d. 7. Et quæst. de Incarn. verbi a. 2. resp ad 4.*

De falsitate hypothesium, quas maledicus ille Sophista sumit, dicerem aliquid: Cuiusmodi sunt: Eadem enunciata esse: Homo est Deus, &: Panis Eucharisticus est corpus Christi: Item: Vtentes iisdem principiis seu mediis, easdem quoque hæreses necessariò defendere. Quasi verò Sophistæ non concludant falsum & iisdem principiis, sed perperam accommodatis & vitiosa consecutione, ex quibus vir bonus veras sententias rectissimè concludit. Sic enim hæretici Scripturæ auctoritate ad sua deliria pallianda abutuntur, qua tamen Theologus Orthodoxus veritatem rectissimè defendit. Sic nimirum asinus iste Cumanus probat Zvvinglianos, quos vocat, Arianos esse, quia Ariani ex regula disparatorum perperàm, imò falsò assumta, Deitatem Christi impugnant: ex qua Dominus Beza bona consequentia Sacramentalem Metonymiam in verbis Christi demonstrauit. Falsa est etiam collatio æternæ generationis & λόγῳ ex Patre, quàm Scriptura expresse docet (Iohannis 1. 14. Mich. 5. 2.) & Vbiquitatis carnis Christi, quæ istorum figmentum est: & blasphema ibidem hypothesis: eandem esse contradi-

ctionem, quam Ariani nectunt: Genitum esse: & ab æterno esse: Et quam nos ex scripturis vrgemus: Creaturam finitam esse: & vbique esse, Et alia hæc: Quæ in aliquo testio cõueniunt, inter se conueniunt: ex quo lubrico principio omnes ferè sequentes calumniæ dependent: Verbi caussa: Docemus ac credimus: Christi corpus loco & terminis suis finitum & circumscriptum esse: idola fugienda & tollenda esse: blasphemos puniendos esse. Idem, inquit Sycophanta, credunt & faciunt Ariani & Mahumetani.

At ego subsumo, ipsum Spiritum S. & Ecclesiã vniuersam id credere & facere. Quid hinc conficiatur, ipse videat. Sic Deum & prouidentiam esse, mundum à Deo conditum esse, mortuos suscitandos esse, bonos præmia malos pœnas manere: quin & ter tria nouem: & hominem animal etiam blasphemiæ Turcicæ fuerint, eò quòd hæc à Turcis etiam creduntur. Quin omnia Turcica & Ariana fuerint, quæ aut naturæ vi aut rationis luce adducti Ariani & Turcæ vera esse cum sanis hominibus credunt.

Sed non est opere precium, cum istis Stercoribus certare. Subeat ipse potiùs cum Theologica sua Facultate bonorum ac posteritatis iudicia, atque experiatur: Vbi quitariamné caussam tàm putidis mendaciis satis benè munierit: an nostram causam vehementer labefactarit: an denique Turcas, Arianos & Nestorianos, potiùs hoc beneficio demeruerit, quòd tantò studio argumẽta ipsorum, quæ profecto rudiores facilè implicent, absq; solutionibus publicè illustranda sumsit: quòd pluribus Azoaris Turcici Alcorani, quàm Scripturæ Sacræ sententiis maledicum libellum exornauit: quòd deniq; non deteriorem agnoscit in Alcorano doctrinã de fide, & Paschale seu carnis Christi in Sacra cœna manducatione Spirituali: de Baptismate: de cælo beatorum, de verbi diuini auctoritate, & similibus fidei Christianæ capitibus: quàm est ea, quæ sonat in nostris Ecclesiis: quam blasphemiã Deus suo tempore vindicabit. Næ igitur Turcicus hic Azaoris-

ta

sta ἀντ' ἀγαθῶν ἀγαθίδας ab alcorano: & Ariani ex Transyluania acclamabunt ei: ἡ γλῶττα τῷ κήρυκι. Hoc scilicet est: Flectere cum nequeant superos Acheronta mouere. Sed ô miseram Germaniam, cuius aures Alcorano tàm familiariter omnes cathedræ circumsonant: cui omnes propè officinæ librariæ Azoaris Turcicis nitent: cui deniq; Constantinopolitanorum amicitia tantis impensis, tantaq́; ambitione quæritur. Quàm metuo, ne verum iam sit Sophocleum illud: *In Antig.*

Τὰ κακὸν δοκεῖν ποτ' ἐσθλὸν
Τῷδ' ἔμμεν', ὅτῳ φρένας
Δεὸς ἄγει πρὸς ἄταν
Πράσσει δ' ὀλιγοστὸν
Χρόνον ἐκτὸς ἄτας.

Ad vos redeo, Generosi Barones, quibus has quærelas deploro, non vt conturbem, aut strenuè pergentes in veræ pietatis & fidei cursu retardem, sed potiùs, vt ea, quæ moram & impedimentum aliquod afferre poterant, ex pedibus remoueam, animosq́; vobis contra Sycophantarum morsus præmuniam, quibus nihil est in religione pestilentius. Pergite igitur, qua cœpistis via, in veræ doctrinæ & humanioris literaturæ studio, cuius præclarum habetis moderatorem doctissimum virum D. Fridericum Preglerum: neque quid mundus agat, aut vulgo placeat, auscultate. Nam vt Platonicũ illud habet, οὐκ εἰς σπουδαίους διδασκάλους καταφεύγει, εἰς τοὺς πολλοὺς ἀναφέρων. Solum Dei verbum pro fidissima Cynosura fidei vestræ, in oculis semper habete: controuersiarum præcipuarum momenta ex Scriptis modestorum hominũ suo tempore cognoscite: ac si lubet, hanc etiam methodum meam adiungite, qua an, quod facere conatus sum, totã controuersiam Vbiquitariã, alioqui vastissimam, & disputationũ varietate satis intricatam, complexus sim, aliorum fuerit iudicare. Modestiam aduersarij: ordinem & perspicuam breuitatem Iuniores fortasse non desiderabunt: Styli elegan-

tiam si requirent doctiores, ipsa argumenti qualitate veniam me consequi posse confido.

Vobis autem, Generosi Barones, vt has meas primitias consecrarem, effecit tùm illustris ille dignitatis ac nobilitatis vestræ Splendor quo Kaunisiorum & Nachosiorum clarissimę inter Morauos familię vestra indole ac virtute, per totam Germaniam iam innotuerunt, celebrésq; euaserunt: tùm verò admiratio heroicæ grauitatis ac modestiæ singularis, & quod caput est virtutum laudisq; vestræ, præclaræ pietatis, studiisq; concionum Sacrarum, in quo, vt emulum, fidumq; παρασήτην haberis Illustrem & Generosum D. Stanislaum Comitem Ostrorogium &c. benignum ac fortem aliquandò futurum in sua Polonia, doctrinæ purioris assertorem atque nutritium: ita profectò, vt nunquàm fiatis segniores, sed strenuè proficiatis pergatisque sedulò vobis est annitendum.

Auxit meum erga vos studium, nostræ & Morauicæ gentis nõ modo vicinitatis, sed & auidæ cognationis consideratio. Nam à prima statim origine Quadi & Marcomanni, quorum illos Silesiæ inferioris circa patriam meam, hos Morauiæ eius, quæ proximè illam attingit, populos fuisse, dubium nõ est: regem eundem Morobandum, à quo Morauiam dictam esse volunt, coluëre: Posteà etiam, rex Morauorum Zvvantocopius, Bohemiam, Poloniam Silesiamque imperio tenuit, annum circa Christi 900. qui tandem ab Arnulpho fortissimo Romanorum Imperatore ingenti, prælio superatus, & regno excussus, in eremum secessit, vbi Christiani cuiusdam eræmitæ contubernio vsus, ad Christi fidem conuersus, vitaque functus est: Prouincię autem eius proprium quæque ducem sibi constituerunt: atque ab eo tempore Morauí Christianam fidem docente eos Methodio colere occœperunt. Maior autem coniunctio à Georgio Podiebrario Bohemiæ rege facta est. Is enim, Friderici Imperatoris auctoritate ex filiis alterum Victorinũ Marchionem

Mora-

Morauiæ, cuius virtus & fortitudo bellica pro parente, contra Matthiam Coruinum fuit illustris: alterum Henricum Ducatus Monsterbergensis, ad quem patria mea antiquo iure spectat, Principem creauit, heroëm auctoritate & potẽtia inter Principes Silesios haud postremum, vt ex historia belli Glogouiensis, cuius celebris est apud nostros memoria, liquet. Ista cognatio Principum prouincias nostras arctè coniunxit: & hodie etiam vtraque eundem Regem agnoscit. Spero itaq;, & non sine caussa vestrum me hîc quæsiuisse patrocinium, & non ingratam vobis, hanc meam qualemcunque in vos obseruantiæ testificationem futuram. Valete, & patriæ atq; Ecclesiæ in Heroas pietate animiq́ue robore præstantes crescite. Ex meo Musæo Heidelbergæ Calend. Sextil. Anno Seruatoris Christi Ἰησοῦ M. D. XXCVI.

*V. G. E.*

*deditissimus*

*Dauid Pareus Francostenens. Siles.*

## Errata.

Pag. 2. lin. 18. pro. &. lege. &c. sic pa. 6. l. 29. pa. 9. l. 15. p. 10. l. 23. & 32. pa. 17. l. 11. pa. 20. l. 5. Pag. 4. l. 21. siue generica. pag. 5. l. 17. ignorat. Pag. 7. l. 6. prafocetur. Pag. 8. l. 23. docendi cauſſa. Pag. 9. l. 16. nihil eſt. Pag. 11. l. 14. eſt proprium. Pag. 14. l. vlt. vlteriùs: Pag. 19. l. 15. artctior. pag. 22. l. 22. offi-cium peregerit. Pag. 23. l. 1. ſua diſtin. pag. 26. l. 1. ſalutarem. Pag. 27. l. 20. ſedere dicitur: l. 25. in multis enim locis. Pag. 30. l. 14. ſed in vna: pag. 31. l. 16. tribuit. Pag. 32. l. 30. ſit prad. Pag. 41. l. 11. explicari. l. 12. ſucci, pag. 50. l. 10. cum Orthod. l. 21. de omnib. Pag. 51. l. 18. qua cuicunq. pag. 54. l. 26. ſed & Dei. l. 31. ſim aſſentum.

METHODVS

# TOTIVS CONTROVERSIAE VBIQVITARIAE BREVIS ET PERSPICVA: IN VSVM STVDIOSÆ IVVENTVTIS modestè instituta.

QVAM *varia omnibus temporibus extiterint in Ecclesia de religione controuersia, non est instituti mei commemorare. Quis enim hydræ illius Antichristianæ capita facile numerauerit: aut numerare non cohorrescat? Grauissimè olim Ecclesiam concusserunt certamina cum Samosatenianis, Sabellianis, Arianis, Macedonianis, Manichais, & similibus monstris, de diuinarum personarum Trinitate in vna essentia: de aterna Christi Mediatoris Deitate, veraq; eiusdem humanitate. Nec minus grauiter eandem his temporibus passim infestant recentes controuersiæ cum Pontificijs, Anabaptistis, Svuenefeldio, Flacianis & de Scripturæ sacræ vtriusque Testamenti autoritate & perfectione: de iustificatione fidei: de bonis operibus: de peccato originis, alijsq; quamplurimis doctrinæ Christianæ capitibus. Sed has omnes tanquam exoticas, & à quibus Ecclesia nostra magno Dei beneficio hactenùs immunes sunt, libenter missas facio: nec temerè mouendas esse iudico, nisi quantum Scholastica docendi ratio postulat ac permittit ijs, qui multo rerum diuinarum vsu exercitationeq;, sensus habent in Scriptura confirmatiores.*

Variæ de Religione controuersiæ.

*Domesticas controuersias duas habemus nobiliores, De vbiquitate, vt vocant, seu omnipræsentia carnis Christi: & de orali eiusdem in Cœna manducatione. Ex his posterior priorem non ità ante multos annos peperit, eò quòd Assertores corporalis præsentiæ carnis Christi in pane Eucharistico, desperantes dogmatis sui ex verbis Cœnæ defensionem, & compendio sibi vtendum esse existimantes, ex vbiquitate multipræsentiam, & rursus illam ex ista demonstrare occœperunt: Pontificijs interim antiquam de perso-*

Duæ controuersiæ domesticæ

*uali vnione Ecclesiæ doctrinam retinentibus & ὁμοψήφως hactenus nobiscũ contra nouatores illos defendentibus. Quanquam autem de vtrâq; plurima extant doctissimorum virorum scripta, & clarissimus ac reuerendus vir D. Georgius Sohn, collega mihi carissimus, publicè iam in controuersiarum istarum explicatione magna cum dexteritate studioq; versatur, vt vix aliquid de amplissimo hoc argumẽto alijs relictum amplius esse videatur: Spero tamen me neq; ingratam neq; omninò inutilem præstiturum esse iunioribus operam, si quæ ab alijs de caussa, quam vocant, vbiquitaria prolixius disputari solent, breuissima methodo explicata omnia ὡς ἐν τύπῳ & quasi in tabula, vt dicitur, oculis eorum subijciam.*

Tria methodi capita.

*In omni disceptatione, primum est, vt quid caussam faciat id quod statum vocant, obseruetur: Proximum, vt quid & cur affirmandum, negandumúe sit, cogitetur: Postremum, vt partis aduersariæ paralogismi, h.e. fucosa specie veri falsum concludentes rationes, diligenter pensitentur. Quando enim de quæstione non rectè constat, sed de nuptijs quærenti de naufragio respondetur, ineptè & quidem non rarò acerrimè disputatur, sed cõuenitur nunquam. Reliqua duo ad parandam scientiam veri ἀμιτώτως eiqui necessariò pertinere, est manifestum. Ad hæc igitur capita reuocari omnes controuersiæ etiam Ecclesiasticæ debent.*

Non controuertit de veritate et omnipotentia Christi

*De statu itaq; Eucharistica controuersia (vt hanc pro suo iure ὡς ἐν γυμνάσματι breuissimè præmittam) cum primùm quæritur, dicunt aduersarij nobis, controuerti de veritate & omnipotentia Christi, deq; vera carnis eiusdem in Cœna præsentia & manducatione. At nihil horum nobis quidem est controuersum: quippe qui summa profanitatis esse arbitramur, de hisce ambigere. Hæc verò sunt, quæ in quæstione potissimùm versantur: An corpus & sanguis Domini in pane & vino realiter adsint: An ore manducentur: & quidem etiam impiorum. Nos hæc omnia vt aliena à tanti mysterij ratione inficiamur, ac repudiamus: credimus verò ac profitemur, in Cœna corpus Christi verum verè sic adesse, sicut manducatur: mãducari autem non ore, sed fide à solis fideli-*

Status controuersiæ Eucharisticæ.

An corpus et sanguis Christi in pane et vino realiter adsint?

An ore manducentur et quidem impiorum?

L.

*fidelibus: non in pane, sed in promissione gratiæ pani annexa: Primum quidem, quia omnes non cæci vident, verba Christi: Hoc est corpus meum: Hoc est sanguis meus: nihil eorum sonare, quæ illi astruunt. Non enim vbi sit corpus & sanguis Domini: sed, quid sit panis & vinum in hoc vsu, docent. Sunt etiam verba promissionis gratiæ seu Euangelij, teste Apologia Augustanæ confessionis, & Sanis Theologis omnibus. Non igitur res promissas, Corpus videlicet & sanguinem Domini, ori aut manibus, sed fidei nostræ præsentes sistunt exhibentq;. Tùm δὶς λεγὸμενα πασῶν eadem illa quæ aduersarij asserunt, dissident à natura Sacramentorum, quæ sunt signa visibilia inuisibilis gratiæ: ac, vt rectissimè quidam scribit: promissiones Euangelicæ, certa externa cæremonia vestitæ: vnde & ab Augustino verba visibilia passim vocantur. Quid igitur promitterent, cõferrent aut obsignarẽt impijs, fide promissionem non amplectentibus? Sed non est instituti mei rationes hîc cumulare sententiæ nostræ, sexcenties à plurimis doctissimis hactenus demonstratas. Hoc tantùm addo: ne quidem ex decimo Augustanæ confessionis articulo vel sex Alembicis elici posse præsentiam corporalem in pane: manducationem oralem, & impiorum: siquidem ῥητὸν eius & declarationes posteriores spectentur.*

Rationes nostræ.

De vero Sacramentorum vsu.

D. Herebr. in Comp. The.

*Præsidium corporalis præsentiæ & manducationis oralis in verbis Christi hactenus quæritur. At ea corpus aliquod in pane latens ignorant: ipsum verò panem visibilem, quem fractum dabat discipulis, & ipse comedebat Dominus, Corpus Christi: poculum visibile sanguinem Christi esse sonant: nec aliud ῥητὸν in æternum extundetur: ipsis etiam Pontificijs, & olim Luthero testibus. Panis igitur corpus Christi est: aut κατὰ τὸ ῥητὸν, h. e. rei veritate, & transsubstantiatione, quod Pontificij contra naturam Sacramenti, & contra Augustinum sentiunt, aut κατὰ τὴν ἀλήθειαν, h. e. significante mysterio, quod nos cũ Augustino, imò cum veritate statuimus. Tertium hic nihil est, nec demonstrari potest, quod cum verbis Christi vlla ratione congruat.*

Rationes aduersariæ.

In Sententijs Prosperi.

*Doctrina Sacramentorum in Scripturis tradita, an aliquid, & quantum faueat corporali præsentiæ & manducationi orali*

*corporis Christi, inuisibiliter in pane præsentis: nondum satis inter huius assertores conuenit. Ideò plerique totam omittunt: alij frigidè attingunt. Apologetæ etiam Erfurtenses sepultam planè vellent: ideò negant definiri Sacramenta, nisi aliquatenus à caussa efficiente & finali seu effectibus (vt ipsi loquuntur) posse. Omnes enim vident, natura Sacramentorum rectè ex scripturis explicata & stante: si Cœna Sacramentum sit, protinùs euanescere phantasmata, quæ de orali manducatione corporis Christi comminiscuntur. Nec desunt, qui sub nescio quo prætextu ὁμωνομίας ipsam Sacramenti vocem ex Ecclesia explosam vellent.*

Commonef. pag. 27.

*Huc pertinent omnia ferè, quæ ab Apologetis capite quinto contra Admonitionem Neostadianam disputantur. Corporalem enim præsentiam, & oralem manducationem corporis Christi in Cœna, pro κτήσει perpetuò opponunt omnibus ijs, quæ de Sacramentorum definitione: appellationibus, re significata, differentijs, vsu legitimo, & regula Sacramentalium locutionum Admonitio docet. Quis verò non videat, hanc esse manifestam principij, vt vocant, petitionem? ac si vera bonaq; sit instantia, omninò consequi, vel præter Cœnam Domini Sacramentum in Ecclesia nullum esse, nec fuisse vnquam: vel si sint alia, Cœnam ex eorum albo expungi oportere? Systatica enim siue generica Sacramentorum differentia, (quæ est, obsignare promissionem gratiæ seu beneficia Euangelij fidelibus per signa visibilia) secundum illos, Cœnæ non conueniet: vicissim, specifica Cœnæ Domini differentia (quæ est, illorum opinione, realis præsentia, & oralis manducatio corporis Christi in pane, fidelibus iuxtà & infidelibus communis) non modò ignota, sed etiam aduersa erit toti Sacramentorum generi.*

*Talia sunt, quæ ex patribus Orthodoxis plurima suæ lenticulæ aspergunt pigmenta: quorum tamen haud dubiè ipsos iam pudet. Quæ le enim, quæso, illud est, quòd non verentur Augustino affingere hanc crudam sententiam Erfurtenses: Corpus Christi esse in pane, sicut anima bouis aut porci: est in sanguine? Cyrillo item, quòd senserit, corporalem Christi inhabitationem, & naturalem*

Apolog. p. 113. b.

talem participationem, esse illam, quam defendunt, corporis Christi in pane præsentiam & manducationem oralem? Theodoreto etiam, quòd scripserit, panem & corpus Christi in Cœna sic vniri, vt in Persona Christi vniuntur duæ naturæ? Omnibus denique Patribus, quòd veteris Testamenti mysteria statuerint signa merè significatiua, meras vmbras, signa sine rebus, cortices sine nucleis: vt quidam locuti sunt? Sed hæc non sunt huius loci, & posteriore tractatu quem seorsum edere libuit, vberiùs demonstrantur. Satis est digito ostendisse, quantum opinio manducationis oralis tùm in verbis Christi, tùm in Sacramentorum doctrina, tùm denique in Patrum sententijs præsidij habeat.

Altera itaque controuersia de Persona Christi, quam deinceps oratione persequi iuxta præscriptam normam constituimus, etsi multis videtur intricatior: tamen haud dubiè est expeditissima ijs, qui sese continent intra Scripturæ Sacræ limites, quæ maiestatis illas ἀκυρολογίας & ὑπερβολὰς, quas multi hodiè ex Theologia Suuencfeldica Ecclesiæ obtrudunt, prorsus ignorant. Quod enim non modò Apologetæ Erfurtenses, sed ante ipsos etiam nonnulli strumam vbiquitariam Orthodoxæ Antiquitatis dibapho contegere studuerunt: id quidem fauoris aliquid vulgò, at roboris nihil reuerà caussæ ipsorum conciliat. Controuersia Vbiquitaria.

Principio igitur, quid hîc in quæstione versetur: si quis rogat: dico ego, vnũ hoc satis graue esse caussæ parũ integræ argumẽtum, quòd de statu toties iam demigrarũt autores huius cõtrouersiæ vt singulis ferè annis aliud stãtes aliud sedentes defenderint. In Mulbrunnensi colloquio, quando primùm ferè nostris temporibus hæc causssa in disceptationem venit, hunc fuisse statum constat: An corpus, quod Filius DEI ex sancta virgine susceperit, vbique præsens, & vno eodemque tempore in omnibus locis sit. Defensa tùm quoque fuit ab illis realis omnium diuinarum proprietatum in humanitatem transfusio; atque adeò ipsa naturarum exæquatio: non enim hanc improbârunt, quoties obiceretur neque in scriptis dissimularunt: Geminata item Christi Maiestas, vna participans, siue communicans, qua Christus secundum Dei- Status controuersiæ Vbiquitariæ ab aduersarijs varie mutatus. Procoll. latin. pag. 8.

tatem, alterà participata, quà secundum humanitatem Deus esset, quam & alij publicè defenderunt, & hodie coryphæus eorum non dissimulater defendere pergit. Etenim plausibile tũ ipsis fuit argumentũ: aut nulla, aut quædam, aut omnia idiomata diuina Humanitati data esse. Nulla data esse, parùm, inquiũt, fuerit: quædam, sanctitatis etiã habẽt. Omnia igitur data sunt humanitati: idq; non vnione tantùm, quod nostri responderunt, vt Deitas ipsa data, h.e, in vnã ὑπόστασιν vnita est carni, vt Damascenus loquitur Sed realitransfusione: de quo leptologemate infrà respondebitur.

Brent. de Maiest. pa. 91.

1. And. in disput. Gryn. confutat. pag. 348.

Lib 3. cap. 11. Orth. fid.

Liber Bergensis, ὁμώνυμα τ θεὸς ἀλλὰ πασῶν, artificio vnius Dædali, qui meritò collegis suis dicat: Nisi vitula mea arassetis, non inuenissetis: totam controuersiam ad tertium quoddam genus communicationis Idiomatum, seu prædicationum abstractiuarum traducit: Sed transfusionem & exæquationem illam Svuencfeldicam priùs defensam reiicit: non amplius geminam, sed vnam tantùm omnipotentiam vtriusq; in Christo naturæ agnoscens. Omnipræsentiam seu Vbiquitatem corporis Christi docebat, nec ne, in magno est apud ipsosmet positum certamine: nec definiri conuentu Quedelburgensi, cuius acta publicè extant potuit. Negat D. Heshusius cum collegis. Hunc alius plus quàm bardum, & qui tribus Anticyris caput insanabile nunquam tonsori Lycino committat, Theologum esse ait, si Vbiquitatem ibi non viderit, vbi Neostadiana Admonitio decies septies eam digito monstrauit.

Ofiand. in vlt. scripto contra Heidel. pag. 39.

Vbiq; tam diffidenter in Resp.

Contrà Apologeta Erfurtenses generalem Omnipræsentiam negant à Bergensibus tradi, & ad Garamantas eam relegant: restrictam volunt, h.e, Multipræsentiam: retentis interim principijs Vbiquitatis de personali vnione, reali cõmunicatione Idiomatum, dextra Dei, tribus essendi modis & non magis certè acutè, quàm si dicant, quendam duntaxat hominem esse substãtiam, eò quòd omne animal sit substantia. Eiusdem enim facultatis est, in multis & omnibus locis simul præsentem esse: siquidem quod multis in locis simul exiistit, id nullo concluſum est loco, eoq; vbiq; & in omnibus simul locis est. Vidit hoc coryphæus Bergensium, ideoq;

*ideoq́ vrget Omnipræsentiam corporis Christi ex Vbiquitate Dextræ Dei: nec contentus esse vult multipræsentia: quo nomine maiorem certè candoris laudem, quàm illi meretur, quod sine tergiuersatione profitetur quod reuera sentit, & Bergica Concordia docet. Videte tricas. Delio hic natatore opus, vt ne quis præfocetur.* In confut. disput. Gryn. pag. 288.

*Tandem verò tertium illud Bergense prædicandi genus in quæstione relinquitur. Vtrum Idiomata diuina (omnia an aliqua dunt axat quærere non licet, cum ἀδιαιρέτως omnia sint ipsa Deitatis οὐσία) vi personalis vnionis, ita realiter sint communicata Humanitati, vt abstractiuè (Sic enim cum ipsis nunc loquar) de ea prædicari queant: Verbi caussa: Humanitas Christi est Omnipotens: omniscia: Omnipræsens seu inuisibiliter & illocaliter vt Deitas, omnia replens &c. Asunt ipsi: Nos cõtrà negamus, istudq́ prædicandi genus, inuentum recens: Scripturis ignotum: Supernaculum: deniq́ multis modis periculosum esse indicamus: & sic demonstramus.* Status controuersiæ Vbiquitariæ.

*Inuentum recens est: quia autor eius etiam heri adhuc fuit superstes. Etsi enim de re ipsa priùs quoq́ tumultariè à varijs disputatum est: quis tamen ante D. Chemnitium in tres ordines hoc modo distinxit communicationem Idiomatum? quis etiam ante ipsum pigmenta Vetustatis sic adhiberi posse ad Vbiquitatis ἄγαλμα palliandum & exornandum docuit, vt cùm plerique olim Patres haberent parum suæ caussæ propitios, eoq́ falsè eos vt matres & fratres traducerent, hodie integras Patrum turmas atq́ exercitus producere contra nos soleant, atq́ in horum Autoritatibus proram puppimq́ victoriæ statuant?* Contra tertium prædicandi modum argumẽta. Primum.

*Scripturis ignotum esse tale prædicationum genus, nullo negotio ostenditur. Exempla enim ab Apologetis & alijs recitata, quæ vix tamen denarium excedunt numerum, non magis ad regulam ipsorum quadrant, quàm si dixeris, Nomina in X masculina esse, vt hac talpa. Aut enim Subiecta eorum non sunt abstracta: sed concreta: vt, Christus: Filius hominis: Homo: aut si quæ abstracta esse videantur: attributa non sunt Essentialia Dei* Secundũ

*Idiomata, de quibus ſolis quæritur, an humanitati realiter ſeu reali transfuſione communicentur: Sed vel ἀποτελέσματα vel ἀξιώματα officij ſolius Mediatoris propria, eoq; ad ſecundum genus pertinentia: id quod ex ijs, quæ paulò pòſt dicentur, magis perſpicuum euadet.*

Tertium ſuperuacuum eſſe.

*Porrò ſuperuacuum etiam eſſe, & citra omnem rationem in Eccleſiam inuectum: ex eo manifeſtè liquet, quòd omnia illa Scripturæ exempla, quæ tertio ſuo generi probando adducunt, reuera ſecundi ſunt generis. At qui duobus illis, primo quem vocant, & ſecundo prædicandi modis, hactenus Eccleſia contenta fuit, neq; ſcripturæ phraſes illos egrediuntur. Illud verò, vt demonſtrem, liceat hîc mihi Doctrinam de communicatione, quam vocant, Idiomatum paucis repetere.*

Idiomatũ communicatio.

*Idiomatũ communicationẽ vocarunt Scholaſtici, id quod Patres ἐναλλαγὴν ſeu ἀλλοίωσιν ὀνομάτων, & τρόπον ἀντιδόσεως dixerunt, tale nimirum de Chriſto prædicationũ genus, quo vnius naturæ proprietates & actiones toti perſonæ tribuuntur in cõcreto & quidem, vt aliqui volunt, perſonæ ab altera natura, cuius non ſunt propriæ, denominatæ: videlicet propter inſeparabilem duarum naturarum cum ſuis proprietatibus in vnam ὑπόστασιν vnitionẽ: vt Dominus gloriæ crucifixus eſt. Homo Chriſtus erat ante Abrahamum: erat in cœlo, cum Nicodemo in terra loquens & iſtud docendi omnia primum prædicationum ſiue Idiomatum communicationis genus in Scholis Theologicis appellatur.*

1. Cor. 2. 8. Ioh. 8. 58. Ioh. 3. 13.

Subiecta in primo genere triplicia: omnia tamen concreta. Ioh. 6.

*Concreta hîc vocantur nomina Perſonæ, quæ perpetuò in hoc genere ſubijciuntur: ſuntq; triplicia. Vel enim perſona nuncupatur à ſua Deitate: vt, Deus, Filius Dei: vel à ſua Humanitate: vt, Homo, Filius hominis: & aliquando etiam Caro, vt, Caro mea eſt panis vita qui de cœlo deſcendit: vel denig; ab officio: vt Chriſtus, Ieſus, Mediator, Rex, Pontifex &c.*

Prædicata duplicia.

*Prædicata verò duũm ſunt generum. Nam vel diuina, vel humana idiomata & actiones de Perſona quomodocunq; nuncupata prædicantur: vt, Deus, Homo, Chriſtus eſt æternus, creauit cœlos, mortuus eſt, reſurrexit, aſcendit in cœlum, eſt vbiq; &c.*

*Abſtra-*

*Abstracta sunt nomina naturarũ, seu extra, seu intra vnionem consideratarum: vt, Deitas, Humanitas, Diuina, Humana natura: quæ nunquam in hoc genere subijciuntur: quia non vnionem, sed vel mixtionem vel exæquationem ac identitatem naturarum abstractiua locutiones importarent. Itaq; vt vnionem factam esse constaret saluis vtriusque naturæ proprietatibus: scriptura ferè addidit particulas distinctiuas, quib⁹ attributa huius generis inesse doceret Persona secundùm alteram naturam, non secundum vtranq;: vt, Christus natus ex semine Dauidis secundum carnem: cognouit cogitationes Phariſæorum Spiritu: Mortificatus carne, viuificatus Spiritu &c. Quod si aliquandò vtriusque naturæ in abstracto sua Idiomata vel actiones attribuuntur: vt Diuinitas est inuisibilis, immensa, creatrix: Humanitas visibilis, finita, creata, patitur, moritur: &c. Ioh. 6. Caro non prodest quicquam: Spiritus viuificat: & non est hæc communicatio idiomatum: sed naturalis prædicatio. In his itaq; est meo iudicio, vel obscurum, vel controuersum.* Rom. 1. 3. Marc. 2. 8. 1. Pet. 3. 18.

*Duo tamen sunt, de quibus Iuniores monendos mihi hîc esse video. Vnum, Communicationem Idiomatum in hoc genere, minimè verbalem tantùm esse, vt vulgò clamant, sed non minùs realem, quàm est vnio ipsa. Cùm enim prædicationes ex rebus oriantur, sicut non verbo tenùs modo, sed reipsa Deus Homo est: & Homo Deus est, omniaq; humana Dei sunt, & omnia diuina Hominis sunt realiter propria: sic non verbo tenùs modò, sed reapse humana Deo, & diuina Homini attribuuntur. Falsum est ergò, quod dicitur, nisi tertium illud prædicationum genus ab aduersarijs inuentum admittatur, quicquid diuinarum rerum Christo Homini tribuitur, id verbis tantùm seu titulis aliquid esse: reipsa nihil esse: Alterum, aduersarios captiosè ludere in vocabulis abstracti & concreti: dum fingunt, abstractum & concretum absolutè seu extra constructionem, naturam & personam significare, in constructione autem abstractum notare naturam separatim extra vnionem consideratam: concretum, coniunctam seu vnitam alteri naturæ. Sic in concreto aliquid dici, est illis de natura*

1. Non verbalis sed realis communicatio hic docetur.

2. Depravatio vocabuli Abstractum

*in vnione considerata dici: In abstracto dici, est de natura seorsum seu separata dici. Hinc negant rectè dici, humanam naturam aliquid accepisse vel habere in abstracto: carnem Christi viuificare in abstracto h.e. à Deitate separatam: rectè verò dici volunt; Humanam naturam accepisse omnipotentiam, omnipraesentiam, & carnem Christi viuificare in concreto, hoc est, cum Deitate vnitam.*

D. Chemnit. de duabus nationis p. 12.

*At sophisticam hanc esse sermonis Ecclesia deprauationem, ad imponendum rudioribus comparatam, & recens excogitatam, quis non intelligat? Abstractum enim tàm in constructione quam absolutè positum, in Ecclesia perpetuò sonat naturam, seu formam alteram personae Christi: & in abstracto aliquid tribui humanae naturae, non est de abstracta, h.e. separata à Deitate praedicari (extra enim vnionem cùm nunquam sit fueritúe, nihil sic ei tribui potest: neq; de eo quaritur) sed est, naturam humanam (Diuina vicissim eadem est ratio) etiam in vnione consideratam, esse subiectum propositionis, de quo aliquid seu diuinum, seu humanũ praedicetur: vt cum [a] Damascenus dicit: Deitas est vnita carni: & [b] alibi: Humana natura patitur: quam phrasin [c] Apologeta Theonino dente vt Nestorianam arrodũt: [d] Ambrosius: Corpus dormit, operatur Diuinitas: & [e] alibi: Caro non erat verbum, sed verbi: Caro gustauit mortem, sed impassibilis Dei virtus. [f] Hieronymus: Caro non est Deus: sed verbum. Sic etiam cum aduersarij cum Svencfeldio dicunt: Humana natura est Deus: est omnipotens, omnipraesens & praedicationes in abstracto, non in concreto esse dicuntur.*

a Lib. 3. cap. 11.
b In historia.
c Apol. p. 46. b.
d In Luc. lib. 6. cap. 33.
e De incarnat. cap. 5.
f Ad Paul. & Eustoch.

*Lutherus certè, cum scripsit, non esse separanda abstracta, naturas vnitas per abstracta intellexit. Quid enim esset, non separare abstracta, h.e. naturas separatas? Non vult abstracta, h.e. naturas subijci in praedicationibus huiusmodi, sed concreta, h.e. personam: vt: Homo est Deus, aeternus, omnipotens, vbiq;: non autem: Humanitas est Deus, aeterna, omnipotens, vbiq; & quia nimirum sensit quid incommodi locutiones istae habeant. Deniq; quis non videat, contradictionem in adiecto esse, cum dicunt aduersa-*

Svuencf. confess. pag. 281. Sup. Iesai. cap. 53.

nersarij: Natura humana est omnipotens, vbiq; præsens: in concreto? Natura enim humana, neq; concretum est, neq; in concreto dicitur, sed Homo.

Alterum genus enunciationum de Christo, seu communicationis idiomatum (sic enim nunc docendi causſa appellare liceat) continet propositiones de Mediatoris officio omnibusq; officij adiunctis atq; effectis. Id cum non sit vel diuina vel humana tantùm natura, sed Persona θεανθρώπου (propter id enim incarnari Filium Dei oportuit) vtraq; natura in eius executione agẽte cum alterius communione, quæ sua sunt: Verbo inquam, vt Damasceni verbis vtar operante, quæ sunt verbi, propter autoritatem & potestatem diuinitatis, quæcunq; sunt præcipua & regia: Corpore verò absoluente, quæ sunt corporis munia, ad voluntatem verbi, quod ipsi counitur, cuius & factum esse proprium: non potest alterius tantùm naturæ in abstracto, vel, vt volunt, abstractiuè attribui. Quicquid etiam propter officij huius œconomiam seu humile seu glorioſum de Mediatore ſcriptura prædicat: pari ratione non abstractè ad naturas, ſed in concreto ad perſonam referri debet. Quòd ſi verò ij, quibus hîc ſecus loqui placet, nihil monſtri alunt, vel mali occultant: eos vehementer miror ſine cauſſa in re tam manifeſta malle ἀκυρολογεῖν, quàm cum ſcriptura loqui, & paci Eccleſiæ conſulere.

Secundus modus cõmunicationis Idiom.

Li. 3. ca. 15. Orth. fid.

Hîc itaq; abſtracta ſeu naturæ propriè etiam nunquam ſubiiciuntur: & ſi quæ abſtractiua huius generis locutiones apud Orthodoxos Patres occurrunt, συνεκδοχὴν habere intelliguntur. Semper vero ſubiecta ſunt concreta ſeu nomina Perſona, idq; vel à Deitate, vel ab Humanitate vel ab officio nuncupata: vt, Deus redemit Eccleſiam: Homo Chriſtus Ieſus eſt Mediator: Chriſtus factus eſt nobis Sapientia. &c.

Subiecta ſecundi generis nunquam abſtracta prò priè: ſed concreta Act. 20. 28. 1. Tim. 2. 5. 1. Co. 1. 30.

Attributa verò, (quod cum primis à Iunioribus diligenter obſeruari velim, quia nodus omnis facilè hinc ſoluitur) triplicis ſunt generis. Aut enim ipſa OFFICII NOMINA prædicantur: vt Chriſtus eſt Mediator: Rex, Sacerdos, Seruator, Redemptor, Viuificator, Iuſtificator, &c. Aut OFFICII

Attributa triplicia. 1.

EFFECTA. *quæ veteres ἀποτέλεσματα seu ἐνεργήματα appellant, h.e. operatõmuni naturarum operatione seu actionum vtriusq; natura concursu perfecta. Talia sunt omnia Mediatoris beneficia: vt, Redemptio propitiatio, satisfactio, mediatio, & quæ eiusdem sunt generis, sed calli dè hîc tacentur: iustificatio, mãdatio à peccatis, regeneratio, viuificatio, sanctificatio, intercessio, suscitatio. &c. Quicquid enim ἀποτέλεσμα seu effectum Personale est Mediatoris: attributum est huius secundi generis, quia vtriusq; naturæ operatione diuina & humana concurrente à persona Mediatoris productum est.*

D. Chem. de duab. naturis pag. 218.

*Ac rursus hîc moneo iuniores, vt obseruent geminum aduersariorum æstum: prior est, quòd ἀποτέλεσματα hæc Mediatoris frè cum actionibus Deitatis absolutis confundunt, vt humanitati Deitatis propria tribuant, vt cum Filius hominis remittere peccata, caro viuificare, sanguis à peccatis mundare nos, dicitur. Alter, quod ad effectionum horum operum non sufficere naturales vtriusq; formæ actiones & vires, sed requiri etiam humanæ naturæ omnipotentiam dictitant: quod non magis est verum, quàm illud, quod olim de gemina Deitate Christi docuerunt & scripserunt. Cur enim Christus esse debuit Immanuel & persona θεάνθρωπος, nisi quia diuina & humana, vt natura sic etiam actionis concursus personalis, vt sic loquar, ad salutem nostram perficiendam requirebatur? Et quomodò quæso θεανδρικὴ seu Deiuirilis actio rectè appellabitur, quæ non à diuina & humana, sed diuina tantùm vtriusq; natura, Diuina quidem essentiali: humana verò accidentali, h. e. communicata omnipotenti operatione efficta est? Omnia autem Mediatoris θεανθρώπου ἀποτέλεσματα, quatenus quidem ab eo concurrente duarum naturarum actione producuntur, θεανδρικὰς ἐνεργείας in Ecclesia rectè appellari Damascenus ex Dionysio docet. Differunt enim actio Deiuirilis & apoteleſma non subiecto, sed ratione tantùm ac respectu. Sed hoc περιεργως.*

Lib. 3. cap. 19.

*Aut deniq;* OFFICII STATVS *prædicantur, quos officij ratione hæc persona subijt, & qui itidem non alterius tantùm*

ium fuerunt aut sunt natura, sed totius persona: vtrâq; etiam naturâ hic peragente, quod suum est, cum alterius communione, sine commixtione aut exaequatione cum altera. Status Mediatoris in Scriptura traduntur duo: Humilitatis, in quo ferè tantùm humilia: & Gloriæ, in quo omnia glorioſa, h.e. ἀξιώματα propter officium Mediatori tributa prædicantur, non de altera tantùm natura in abſtracto, Sed de perſona in concreto, ſaluo naturarum & proprietatum vtriusq; diſcrimine. Nam, vt, idem Damaſcenus inquit, ſicut ex carne procedunt humilia vtrique naturæ communia: ſic ex Deitate gloria naturaliter proficiſcitur vtriuſq; communi, propter περιχώρησιν factam identitatem: vnde & officium Mediatoris dependet. Humilia ſunt, cum dicit Scriptura: Chriſtus exinaniuit ſeipſum: Factus pro nobis pauper, cum eſſet dives: Factus patri obediens vſq; ad mortem: Tradidit ſeipſum pro nobis: Tentatus in omnibus ſicut & nos, excepto peccato: exauditus eſt ex metu. &c.

Duo ſtatus Mediatoris.

Phil. 2. 6.
Phil. 2. 6.
2. Cor. 8. 9.
Phil. 2. 8.
Gal. 1. 4.
Heb. 4. 15. & 5. 7.
Heb. 2. 7.

Hæc ſunt totius Mediatoris πάθήματα, ſeu vt Scriptura loquitur, ἀλαπτώματα καὶ ταπεινώσεις: à quibus Deitatis ἐνέργειαν citra ſalutis & conſolationis noſtræ diſcrimen remouere non poſſumus. Sine Deitate enim ſuſtentante, & robur dignitatemq; paſſionibus addente, pati quidem ac mori humanitas poterat, ſed pro peccatis noſtris pati, mori, ſatisfacere, resurgere ac triumphare haud poterat. Itaq; Dominum gloriæ crucifigi: & Deum ſuo ſanguine Eccleſiam redimere oportuit.

Phil. 2. 8.
Act 20. 28.

Rursus glorioſa, ſunt ἀξιώματα officij, quatunq; de Mediatore etiam exaltato, vel exaltando reſpectu futuræ exaltationis in Sacerdotio & Regno Scriptura prædicat: vt, Seſſio ad dextram Dei: exaltatio ipſa: dominatus: omnis poteſtas: nomen ſupra omne nomen: gubernatio cæli & terræ: cultus adorationis: genuflexio: & quæ ſunt huius generis innumera alia. Hæc etiam ἀξιώματα propriè loquendo non ſunt eſſentialia Deitatis idiomata: vt contendunt, & in quo ſolo grauiter falluntur aduerſarij. Ratio hæc & manifeſta & certa inuictaq; eſt. quòd ea nec Deo Patri, nec Spiritui ſancto tribuuntur, ſed ſoli Filio Mediatori θεανθρώπῳ: quia

ἀξιώματα officij Mediatoris non ſunt confundenda cum eſſentialibus Dei proprietatibus.

is solus est persona missa ad hoc officium, vt fieret victima pro genere humano: Solus is dicitur exinanitus & obediens patri factus pro nobis: Solus etiam exaltatus ad dextram Patris super omnia, vt sit Rex & caput Ecclesia, h. e. persona illa, per quam Pater omnia in cœlo & in terra immediatè gubernat, dat Spiritũ Sanctum, iustificat, regenerat ac seruat Ecclesiam: Solus deniq; vt Rex & Caput Ecclesia à nobis adoratur & invocatur: vt merito ac intercessione sua nos Patri reconciliet, seruet aeternam Ecclesiam, ac in medio hostium perpetuo dominetur: imò solus etiam is est, in cuius nomine inuocantes Pater exaudit. Hæc inquam gloria solius Mediatoris est propria, nõ tantùm quia Deus, aut quia Homo, sed quia persona θεάνθρωπος & Mediator est, h. e. persona & officij ratione: ac summam vtriusque naturæ perfectionem diuinaquidem naturalem seu essentialem: humana verò habitualem exprimit, sine earundem confusione & exaquatione.

Accessionem quidem facere Deitas non potuit exaltatione, quæ nec imminuta fuerat exinanitione. Vt enim ipsa officij Mediatoris susceptio, seruilis carnis assumptio, totaq; humilitatis œconomia, natura & gloria diminutionem Deitati non attulit: sic Mediatoris exaltatio, & ad dextram Patris euectio, diuinæ essentiæ perfectionem non auxit. At potuit diuina Maiestas à carnis infirmitatibus, quibus ceu velo ad tempus tecta latuerat, quasi vindicari, vt in carne sua, ad diuinam illam ἀξίαν (Sic vocat Iustinus Martyr, gloriam carni à λόγῳ tributam, etamq; expresse negat esse θείαν φύσιν, h. e. diuinam naturam, seu essentialia Dei idiomata: hæc enim ab illa reuera non differunt) euecta, deinceps plenè perfectèq; resplendesceret. Potuit quoq; assumpta natura humana, quæ hactenus non δοκήσει modò, sed καὶ ἀληθείαν & sine fuco humilis ac infirma fuerat, neq; ante exaltationis tempus ad dextram Patris ac maiestatis thronum consenderat: reali ac habituali, vt loquuntur donorum, potentiæ, dignitatis & gloriæ accessione supra Angelos & creaturas omnes cumulari, exornari & euehi, vereq; sic euecta est, vt homo, qui loco tàm humili tenebatur vt descendere non posset alterius, ad tam excel-

In expos. fidei

sam

ſam ſedem eleuaretur vt altiùs ascendere non posset, quemadmodum Chrysostomus loquitur. Hæc verò assumpta carnis euectio & summa perfectio vt non statim cum vnione cœpit, sed suo tempore humilitatis statum est consecuta: sic neque ipsa est vnio, neque simpliciter aut immediatè effectus eius dici potest, sed proximè ab officio, propter quod ipsa etiam vnio facta est, dependet. Multò verò minus cum Idiomatis diuinis absolutis confundi debet: Si modò Svuencfeldicam naturarum exaquationem euitare velimus. Svuencfeldius enim sine tergiuersatione fatetur, siquidem idiomata diuina in statu gloriæ Humanitas sortita sit: eam & Deitati reuera exaquatam, & Deum factam esse: salua interim (quod absurdè, & manifesta cum implicatione addit) naturæ illius veritate atq; essentia. Serm. de assens. In confessione pag. 182. & 223. &c.

Ex his igitur, & quid ἀξιώματα hæc sint, & quatenus ab essentialibus Dei idiomatis disiuncta sit ea, quam Scriptura tradit, carnis ὑπερύψωσις, manifestum esse arbitror. Fateor eam a Patribus Orthodoxis non rarius ad σῶσιν ipsam, quàm ad officium referri. Sed rursus nobis fateantur aduersarij oportet, scripturam secus loqui, ac magno vbiq; consensu gloriam Mediatoris tàm vnione, quàm humilitatis statu, partim tempore, partim natura ordine sic posteriorem facere, vt eam officio proximè asscribat. Oportuit enim Christum pati, & sic ingredi in gloriam suam: excitatum à mortuis demùm Pater collocauit ad dextram suam in cœlis: & quia obediens factus fuerat vsq; ad mortem: ideò Deus ipsum in summam extulit sublimitatem. &c. Deindè non omninò etiam incommodè loquuntur Patres, ex vnione θείαν illam carnis ἀξίαν deriuantes. Vnio enim, vt propter officium est facta, sic eius quoq; fundamentum ac neruus est: ideoq; quicquid officij ratione Mediatori tribuitur, mediatè ad ipsam quoq; vnionem pertinet; & hoc sensu à patribus ad eam refertur. Nunquam verò in mentem eis venit, hoc pacto vbiquitariam illam idiomatum communicationem, & carnis Christi ἀπαθείαν astruere: sed vel naturarum seu diuinæ seu humanæ veritatem, vel earundem vnionem hypostaticam, vel denig; distinctionem & inequa- Luc. 24. 26. Eph. 1. 20. Phil. 2. 8.

litatem, aduersus varia hæreticorum monstra asserere: cui ipsorum instituto accommodatissima fuerunt argumenta ab actionibus Deiuirilibus, & axiomatis officij desumta. Hæc enim non nisi personæ θεανθρώπῳ competere possunt. Et cum Deiuirilis actio, Deitatis ἐνέργειαν includat: non mirum est, eos in disputationibus contra Nestorianos, hanc aliquando proillacarni attribuere, vt vnionem euincant. Hoc modo Athanasius, Cyrillus, Damascenus viuificationem, quæ reuera in Christo θεανθρώπῳ θεανδρικὴ ἐνέργεια est, absolutè quasi actionem Deitatis propriam carni Christi attribuunt, & coniunctionem eius cum verbo personalem demonstrant, quòd videlicet non sit cuiusuis per se hominis caro, sed verbi caro, eò quòd actio verbi propria de ea prædicetur. Atq; hoc vnicùm ferè exemplum extat in Patrum disputationibus, quo aduersarij sese oblectent. Ostendant verò si possunt, Vbiquitatem seu omnipræsentiam, omniscientiam, & omnia alia Deitatis idiomata eodem modo Patres carni vendicare (id quod hodie nobis in contentione versatur) & soli Phyllida habento.

Quarè, vt ad id redeam, cuius gratia hanc doctrinam breuiter delibare libuit, cùm certum sit, omnia illa attributa, quæ hodiè ad tertium suum genus reuocare solent, vel ἀποτελέσματα vel ἀξιώματα officij Mediatoris esse: ideoq; ad secundam hanc prædicationum classem pertinere: superuacuum illud, & sine ratione excogitatum esse, firmiter concludo.

Quartum argumentum.

Postremò, quantum periculi etiam nouo huic commento subsit: quot falsas & monstrosas assertiones tueantur, & quàm turpiter secum ipsi confligant eius defensores: qui prolixè velet cognoscere: eum ego ad caput octauum & nonum Admonitionis Neustadianæ, breuitatis caussa, remitto. Neq; enim ea refutarũt Apologeta, sed puerilibus cauillis eludere conati sunt: & profectò firmiores nodos habent antilogia ipsorum, quàm quos duabus pagellis dissoluere potuerint, de quo eruditi iudicabunt.

Cæterùm, vt instituto satisfaciam, ad illa, hæc pauca ego adijciam breuissimè, quibus si non autores ipsi figmenti huius ad restituendam Ecclesiæ doctrinam suam mouebuntur, saltẽ alij sanio-

res

res, vt spero de illius absurditate rectius iudicare discent.

Primum est, quòd vno quasi impetu totam de idiomatum κοινωνία, ipsâq; naturarum vnione & Personæ officio vbiquitarij nouo hoc suo commento euertunt, nihil nisi meras verbalitates, vt illis loqui placet, in vtroq; prædicationum genere nobis relinquentes. Si enim ea demum vera & realis idiomatum communio est, qua tertio ipsorum genere docetur; quid igitur ipsimet præter verba in primo genere Christo tribuunt? Et, si nihil relinquitur Deitati cum Humanitate, viciſsimq; huic cum illa realiter commune, cum dicimus: Deus est homo factus: manifestatus in carne: crucifixus: Et, Homo est Deus, & immensus, omnipotens, & qua calumnia frigida sanè, vel potiùs impia sese passim oblectant: quidquaso & qualis naturarum vnio fuerit? Istis enim nihil est dicere, Carnem sic esse propriam Verbi factam: & viciſsim: vt vtriusq; forma idiomata & actiones naturales realiter toti personæ conueniãt. Itaq; ne non satis intelligant, quid velim, quæro, verbalisne an realis naturarum vnio exprimatur, cum in primo genere dicitur: Deus est Homo: & Homo est Deus: ac proinde etiam idiomatũ communio: Deus est mortuus: & Homo est æternus, omnipotens & vbiq;. Qualis enim vnio est naturarum, talis etiam communio proprietatum fuerit. Si realem esse fatentur, vt certè est realiſsima (verè enim Deus λόγος est Homo natus ex virgine, & mortuus secundum propriam suam humanitatem: & verè hic Homo est Deus æternus, immensus, creator mundi & vbique, secundum propriam suam Deitatem) quorsum tantos excitent pulueres de verbalitatibus? & quorsum opus fuit nouum illud enunciationum genus confingere, quo solo demum vera & realis tum vnio, tum communio naturarum & proprietatum exprimeretur? Si verbalem & Neſtorianam esse clamare pergunt: non modò impudenter antiquam Scripturæ & Eccleſiæ doctrinam calumniantur: sed secum etiam ipsi turpiter confligunt, dùm, quandiu ipsi in primi generis explicatione versantur, omnia realia esse fatentur: mox verò, cum ad tertium illud abstractiuum genus est ventum: VERBA VERBA Christo tantùm 1.

*tribui, nisi huc ad ipsos veniatur, gnauiter clamant.*

D. Chemnit. de duabus naturis p. 333, & 164.

*Excipiunt: In primo genere realem quidem esse communicationem: sed fieri eam in persona, non in naturis; propter solã vnionem, ideoq; reciprocam esse: In tertio autem genere communicationem Maiestatis fieri realiter non tantùm in persona, propter vnionem, sed in assumta etiam humana natura, propter euectionem eius ad dextram Dei, ideoq; reciprocam non esse.*

*Sed hoc ipsum figmentum in controuersia versatur, quod de communicatione Maiestatis, h. e. idiomatum diuinorum non reciproca, in natura humana comminiscuntur. Quoties enim iactitarunt suum illud, & verum quidem axioma, talem esse idiomatum communicationem, qualis est vnio ipsa? An verò vnio reciproca non est? An non etiam vnionem suam reali idiomatum communicatione, tanquam differentia specifica definiunt, & huius caussam in sola vnione quari volunt? Quid igitur nunc ab vnione ad sessionem transiliunt?*

Cõc. p. 306.

*Quòd si, vt scribit Bergensis concordia, Maiestas vbiquitaria humanitati communicata fuit ab vtero matris, etiam ante euectionem ad dextram Dei: quomodò sessioni ad dextram Dei asscribi illa potest?*

D. Chem. pag. 57.

*Audio quid respondeant: per sessionem ad dextram Dei deposita in resurrectione & ascensione serui forma, demum amplificatam & perfectam esse maiestatis communicationem, vt quàm priùs tantùm κλήσει habuerat, nunc etiam χρήσει obtineat Christi Humanitas.*

Schvuencfeldianissmus vbiquitariorũ

*Hoc verò ipsissimum est Schvuẽcfeldij portentum de imperfecta & paulatim crescente naturarũ vnione: imò de duplici vnione: temporali & noua siuè aterna, de qua sic scribit in secunda parte confessionis de cognitione Christi.* Duplex obseruanda est in Christo verbi & carnis vnio: temporalis & æterna: humana seruilis, vt sic loquar, & diuina glorioſa vnio. Tem-

pag. 182. b. poralis cœpit in vtero matris, æterna verò demùm in resurrectione à mortuis verè cœpit, & per ascensionem ac sessionem ad dextram Maiestatis Dei, penitus absoluta est

&

& confirmata. *En monstrum vnionis, ex duabus conflatum haresibus. Prior vnio Nestorij: posterior Eutychetis est: à quo profectò vbiquitariorum dogma vix latum pilum abest. Si enim creuit post depositam serui formam, vt quidem ipsi loquuntur, differentia vnionis specifica, h. e. Maiestatis seu diuinorum idiomatum cum natura humana communio: vnionem ipsam creuisse, neq; ab vtero veram perfectamq; fuisse, fateantur necesse est.*

Nestorianismus vbiquitariorum.

*Crassius verò etiam Nestorianismus hic proditur per confusionem Brentianam Incarnationis seu vnionis carnis cum verbo, & sessionis eiusdem ad dextram* DEI; *quæ disertè repetitur in Concordia Bergẽsi: quòd Filius hominis secundum humanitatem suam realiter sit exaltatus ad dextram Maiestatis per vnionem seu in ipsa vnione cum verbo. Idem enim eis valet: Humanitatem vnitam esse τῷ λόγῳ: & Humanitatem sedere ad dextram Maiestatis, quam dicunt esse ipsum λόγον. Vtra autem, quæso, ardior est vnio? Nestoriáne, quæ per assistentiam? an vbiquitariorum, quæ per sessionem fieri fingitur? Firmiúsne sedetur, quàm statur ad λόγον? Videant hic mantica vbiquitarij, quod in tergo est, & desinant Nestorij stercora alijs aspergere, quibus ipsi tàm egregiè sunt commaculati.*

Brent. de Maiest. pag. 48.

Conc. pag. 246. b.

Nestorianismus vbiquitariorum.

*Sed ne id quidem verum, aut tolerandum in Ecclesia est, quod dicunt, communicationem Maiestatis realiter factam esse non modò in persona, sed etiam in natura, & quidem tantùm in natura humana. Rationes duæ sunt.*

*Primùm enim talis communicatio non modò Svuencfeldicam exaquationem, sed & confusionem Eutychianam naturarum necessariò importat. Natura enim habens Idiomata & actiones diuinas (solas, an cum humanis coniunctas habeat nihil interest: Damascenus certè impossibile esse ait, vtrasq; simul eidem naturæ inesse) quatenus quidem eas habet, non humana, sed diuina natura est.* Quorum enim, *inquit idem Damascenus*, est natura eadem, horum & actio est eadem: & è diuerso: quorum actio est eadem, horum quoque & substantia vna est. *At communicatio diuinorum Idiomatũ in natura humana, tribuit*

Svuencfeldianismus & Nestorianismus vbiquitariorum.

Lib. 3. c. 15. lib. 4. 19. Orth. fid.

humanitati diuinas proprietates: tribuit quoq; diuinas actiones omnes: Fingunt enim λόγον omnia sua opera, etiam ipsam, nisi fallor, cordium inspectionem, emissionem Spiritus sancti, praesentiam repletiuam & ipsius carnis ex morte suscitationem, & non modò in & cum carne, sed etiam per carnem peragere. En igitur geminam in Christo Deitatem secundum istos, paulò subtiliori figmento inuentam, quàm olim erat illud de participante, & participata seu factitia, seu accidentaria Deitate (hi enim termini omnes ipsorũ sunt) aut si malunt cum Svuencfeldio Magistro suo loqui; En duas naturas in vna Deitate exaquatas. Profectò Svuencfeldius longè hîc candore superat, & meritò irridet eos, qui idiomata diuina humanitati realiter tribuere non verentur: essentiam verò seu naturam diuinam tribuere nolunt: cum diuina idiomata reuera non sint aliud à simplicissima Dei natura siue essentia: neq; dissimulat, sed palàm ex communicatione ista reali Maiestatis defendit exaquationem naturarum: qua etiam ante paucos adhuc annos placebat vbiquitarijs, vt eorum testantur libri. Hodie autem, discessione à Magistro suo in speciem facta, eandem repudiare se simulant, vt confusionem euitent.

In confession pag. 221. b.

confess. pag. 60.

Atqui hac tergiuersatione non curatur error, sed detestatione potiùs tàm blasphema sententia. Nam etiam Svuencfeldius non vult esse Eutychianus: & exaquationem statuere se dicit, salua natura humana. An verò satisfactum est veritati talibus paradoxis? Itaq; quàm rectè Svuencfeldius, exaquationem defendens, Eutychianam confusionem à se remouet, tàm benè vbiquitarij, realem idiomatum communicationem cum Svuencfeldio defendentes, exaquitionem reijciunt.

Confess. pag. 172.

Nec satis tegitur hoc putidum vlcus: cum dicunt, realiter quidem communicari idiomata Deitatis carni: sed non fieri aut esse carnis idiomata. Si enim carni ita sunt communicata, vt ea realiter habeat, exerat & vsurpet (sic enim loquuntur) quomodò negabunt, ea fieri aut esse carnis idiomata? An verò, qua habet realiter caro, non sunt eius? an praedia, qua vbiquitarij realiter habent ac possident, non sunt ipsorum praedia? an aurum, quod eis realiter

*realiter communicauit diues vbiquitas, non est ipsorum aurum? Quid est soli nates obuertere, & Deo Ecclesiaq; illudere, si hoc non est?*

*Habent hîc aliud etiam χρησφύγετον: Deitatem per naturam, humanitatem per vnionis gratiam, idiomata diuina obtinere. Sed benè est: manet nihilominus Humanitas, per gratiam seu per accidens, vt olim locuti sunt, id, quod Deitas est per naturam: qua de re paulò pòst dicendi locus recurret.* Bren. de Perf. vnionis. pag. 5. 1. And. in Ap. pa. 42.

*Altera caussa est. Nestoriana personæ distractio.* Qui enim, *inquit D. Chemnitius*, fingit vnionem, sine tali communione, is & se & alios fallit. Nestorius enim licet clamitabat, se credere vnionem: tamen quia communionem inde sequentem negabat, damnatus est. *Iudicio igitur istorum Nestorianus est, quisquis realem idiomatum communionem non statuit. Et cur hoc? quia nimirum tollit specificam vnionis differentiam: quæ secundum istos est diuinæ naturæ proprietatem realis cum humana communicatio: vt totidē verbis testatur D. Iac. Andreæ in Protocoll. Mulbrunensi. Verba eius hæc sunt:* Differentia specifica est diuinæ naturæ proprietatum realis cum humana communicatio. *Atqui ipsi, dum communicationem istam realem ad humanam naturam restringunt, ex parte diuinæ naturæ vnionis specificam differentiam, ac proinde vnionem ipsam manifestè tollunt. Differentia enim specifica mutua vnionis duarum naturarum, non potest non æquo iure vtriq; naturæ vnitæ conuenire, siquidem stare debet mutua vnio. Itaq; aut fateantur oportet, realem illam idiomatum κοινωνίαν reciprocam esse in natura non minùs diuina quàm humana: h. e. non minus Deitatem esse passam & mortuam, (à qua blasphemia Brētius non omnino abhorruit, cum scripsit:* Negari non posse, quin Deitas sit facta passionis & mortis suo modo particeps: *& D. Iacob. Andreæ:* aliqua ratione in ipsam quoque Diuinitatem redundasse passionem: *& Concordia Bergensis:* Filium Dei verè passum esse secundum proprietatem naturæ humanæ: *)quàm humanitatem omnipotentem & vbiquita-* Protoc. Mulbr. lat. pag. 14. Cont. Bulling. pa. 11. In expos. pag. 116. Concord. pag 246.

riam esse volunt: id quod & sententiæ ipsorum, & veritati repugnat: aut palàm concedãt in castra Nestorij, & sine tergiuersatione dicant, Deitatem, cùm ab humanitate realiter nihil accipiat, eidem realiter, vnitam non esse. Nam secundum ipsos realis demum communio proprietatum essentialium, realem naturarum vnionem efficit. Atqui Deitati nullam cum proprietatibus Humanitatis realem communionem faciunt: & vnionem nihilominus veram Deitatis cum humanitate statuunt. Aut igitur falsa est vbiquitariorum de specifica Vnionis hypostaticæ differentia hypothesis: aut si vera est, nec tamen reciproca & mutua: Vnio naturarum mutua nec est, neq; defendi ab ipsis potest. Sed hac de primi generis labefactatione dixisse satis sit.

2. Alterum quoq; genus imprudentes euertunt, dum pro omnipotente perfectoq; Rege, Pontifice & Seruatore Christo, nescio quem imperfectum in illo Ecclesiæ exhibent. Negant enim Apologeta, & alij alibi, Humanitatem absq; reali diuinorum idiomatum ac præsertim omnipotentiæ participatione in officio Mediatoris Diuinitatis satis cooperari potuisse. Id si verum est, quid nisi laruas & inanes titulos Christo relinquunt, dum Pontificem, Regem, Seruatorem eum in secundo genere fatentur esse, quia nimirum actionum naturalium concursu, seu communi operum, quæ vocant: personalium effectione peregerit? Aut enim communis ista naturarum actio & cooperatio, quæ iuxta Synodum Chalcedonensem secundo genere definitur, ac θεανδρικὴ vocatur, satis fuit ad conficienda salutis nostræ ἀπαρτίσματα, aut non fuit. Si satis fuisse negant: negant Christum perfectum Seruatorem in secundo genere dici: quippe qui humanitate sua cooperari satis in officij Mediatoris executione non potuerit, sine omnipotentia communicata, quæ nullo modo ad secundum genus pertinet. Si affirmant: falsum efficitur quod dicunt, requiri vtriusq; naturæ omnipotentiam, ipsiq; commentum suum euertunt.

Apolog. pag. 3.

3. Duę naturæ omnipotentes fingunt, contra Athanasij, & totius Ecclesiæ fidem.

Ad incommoda hactenus explicata, accedit & hoc, quod nobis duas naturas, non iam dicam immensas, sed omnipotentes

Volent

potentes secundum vbiquitarios.

*Volent hoc eludere seu distinctione, quod Diuinitas per se: Humanitas καθ' ἄλλο ex vnione, vt loquuntur, omnipotentiam habeat. Sed quid hoc aliud est dicere quam Diuinam naturam per se omnipotentem & Deum: Humanam vero ex vnione omnipotentem & Deum: ideoq; duas inaequaliter naturas omnipotentes, Deosq; esse. Omnipotentem enim esse profectò est Deum esse. At qui cogitent velim, an persona θεάνθρωπου dici possit ea, quae duas habeat naturas omnipotentes: & vtrâq; naturâ Deus sit. An item Humana natura omnipotentia consistere possit cum fine incarnationis λόγου, qui fuit, vt persona omnipotens dissimilibus naturis & proprietatibus constans, dissimili operatione, dissimilia associaret, conciliaretq;.*

4.

*Repeto exaequationis & confusionis monstrum, quod imprudentes Ecclesiae obtrudunt, quicunq; vtriq; naturae diuinas proprietates sic vendicant, vt de vtrâq; abstractè praedicari queant. Quemadmodum enim, iuxta Damascenum, impossibile est, in vna natura, simul aduersantia idiomata consistere: sic duae naturae, quatenus quidem illis eadem idiomata tribuuntur, inaequales & distinctae amplius dici non possunt. Hinc Theodoretus probat, duabus Christum naturis constare: quoniam contraria ipsi accommodantur: in principio esse: & ab Abrahamo origenem ducere &c. Quomodo igitur aduersarij naturas non exaequant, Diuinae vtriq; idiomata tribuentes: & easdem non confundunt, Humanitati simul contraria φυσικὰ & ἀντιφυσικὰ, vt loquuntur, vendicantes? Dicunt; non essentialiter, vt de Diuinitate, sed Personaliter, vnionis gratia praedicari de Humanitate diuinitatis idiomata. At ego dico, hoc cauillo eos non exaequationem, sed identitatem duntaxat naturarum effugere: sicut, qui dicit, Patrem & Filium distingui non essentialiter, sed personaliter, non aqualitatem, sed identitatem duntaxat personarum tollit.*

Lib. 4. c. 19. Orth. fidei

Dialog. 2.

*Dicunt: humanitatem non ex se, sed ex vnione cum λόγῳ omnipotentem & vbiq; esse. At diuersus existendi & habendi modus, tàm non tollit naturarum aqualitatem, quam dici non potest, Filium & Spiritum sanctum ideo Patre inferiores esse,*

*quia non à se, sed à Patre per æternam, ille generationem, hic processionem, diuinam essentiam habent. Plura de exaquatione, & alijs incommodis non suggeram. Credo autem ex istis satis liquere, quale sit tertij generis commentum.*

Tres rationum contrariarum classes.

*Rationum, quibus illud defendunt, tres habent classes. Prima quædam scriptura loca: altera similitudines: tertia, Autoritates Patrum continet.*

*Scriptura loca denarium numerum vix excedunt: qua, vt verum esse constet, quod suprà dixi, ἐδὲν πρὸς διόνυσον esse, h. e. vel subiectis vel prædicatis, vel vtrisq; ad regulam non quadrare: breuissimè singula in gratiam Iuniorum ad normam ipsorum examinabo.*

1. In libr. D. Chem. de duab. naturis

Matth. 11. 27. & 28. 18. Data est mihi omnis potestas in cœlo & in terra. *Glossa Selnecceri est: Data est humanitati meæ omnipotentia & omnipræsentia.*

*Sed de glossis non quæritur. De prædicationibus scripturæ agitur, qua Humanæ naturæ idiomata Deitatis abstractiuè tribuãt: qualem his Christi verbis minimè contineri palàm est. Ἀξίωμα enim regium παντοκρατίας seu dominatus Mediatoris in omnes creaturas, neq; cum essentiali Dei omnipotentia confundi debet, vt suprà ostensum est, neq; humanitati abstractè, sed personæ hic tribuitur. Data autem ea est Christo Mediatori, sicut officium ipsum, h. e, personæ θεανθρώπῳ, non naturis seorsum. Negamus enim disiunctiuum eorum principium: quicquid Christo datum esse dicitur: aut Deitatis aut humanitatis ratione datum esse. Multo enim verior est regula in scholis Theologicis: Quædam dici de Christo, quæ seorsum nec ad λόγον, nec ad humanam naturam, sed ad ipsam personam Mediatoris pertinent, quatenus Mediator est: cuius generis sunt phrases œconomicæ omnes de Mediatoris officio & statibus. Sed argumentum de datis in tempore infrà seorsum explicabo: satis hic est ostendisse, de humanitate idioma Deitatis ἰσοτιμίας non prædicari.*

2. Ioh. 5. 27. Pater dedit Filio Potestatem iudicandi, quia Filius hominis est. *Rursus hic de concreto ἀξίωμα regium prædica-*

*pradicatur: quod scopus orationis facilè confirmat. Negat enim Christus se violasse Sabbathum: primùm, quia Deus sit, Patri ὁμοούσιος: id quod probat ex operibus Deo propriis quæ cum Patre faciat ὁμοίως: Deinde quia sit missus Redemtor & Iudex mundi. Sic gemina ratione, naturæ nimirum & officij, tum viuificandi tum iudicandi potestatem sibi competere ostendit. Dedit enim, inquit, Pater omne iudicium Filio, & vitam habere in se ipso, per aternam nimirum Filij ex sua essentia generationem, vt Orthodoxi Theologi, hunc locum accipiunt. Dedit verò etiam ei autoritatem iudicandi, quia Filius hominis est, hoc est, quia Mediator designatus, & homo factus est, vt viuificet & iudicet mundum: q. d. Filium Dei me esse dixi: Vos hominem tantùm videtis, cui autoritas tãta a vestro iudicio non competit. At verò ideò, quia Filius, & quia Filius hominis sum, h. e. Messias θεάνθρωπος, iure hanc potestatem à patre mihi demandatam exerceo. Hic sensus haud dubiè genuinus est & Orthodoxus. Qui verò arbitrantur, Christum humanitati sua diuina idiomata hîc tribuere, viderint, vtrum à Deitate Humanitatis argumentetur, & an sensus rationis sit, quia, vita & iudicandi potestas, h. e. Deitas realiter communicata est carni meæ. Talia certè Ariani, vt sua, haud difficulter admittent.*

Psal. 8. 5. Eph. 1. 22. Omnia subiecit sub pedibus eius, 3.
*nempè Christi Mediatoris & Regis Ecclesia. Hîc etiam ἀξίωμα regium Personæ in concreto tribuitur: ipso Apostolo interprete 1. Corinth. 15. 25. Regnare enim Christum oportet, dum omnes inimici subijciantur sub pedibus eius. Suos igitur rursus Corymbos nectunt.*

Coloss. 2. 3. In Christo omnes Thesauri sapientiæ & co- 4.
gnitionis sunt absconditi. *Hinc omniscientiam naturæ humanæ diuinam colligunt. Sed frustrà etiam hîc caput scabunt. Neque enim phrasis regula ipsorum vllo modo congruit: neq; de idiomatum communicatione Apostolo in mentem venit. De dignitate enim ac perfectione doctrina Christi propriè loquitur: reuocatq; fideles à corruptelis & traditionibus humanis ad Christum,*

*à quo solo docet veram & Salutatorem Dei agnitionem reuelari omnibus electis: ideoq; cœlestem Sapientiam extra Christum quarendam non esse: quippe quæ tota in ipso solo resideat, ab eoq; sanctis, Verbi & Spiritus ministerio communicetur. De infinita verò humanæ mentis Christi scientia, aliisq; diuinis idiomatis in carnem transfusis Apostolus ne γρὺ quidem.*

3. Simile est, *quod ex eiusdem capitis versu 9. arripiunt:* In Christo habitat omnis plenitudo Deitatis corporaliter. *Hîc non de natura humana, sed de plenitudine Deitatis inhabitatio corporalis prædicatur. Quid igitur ad regulã? Esto tamen sensus: Omnis plenitudo Deitatis habitat in natura humana: & conuersim: Natura humana habet in se habitantem omnem Deitatis plenitudinem corporaliter. Ne sic quidẽ obtinent, quod volunt. An enim omnis plenitudo Deitatis sunt duo vel tria duntaxat diuina idiomata, quæ secundum istos tantùm realiter communicata sunt? Ac non potius tota perfecta q; Deitatis essentia? Quòd si igitur inhabitatio corporalis est illa, de qua disputant, realis & abstractiua idiomatum communicatio in natura humana: quæ fronte negant, omnem Deitatis plenitudinem de eadem prædicari debere? Erit ita q; Humanitas non modo omnipotens, omniscia, omnipræsens: Sed & æterna, ex patre genita, incorporea, mundi creatrix: at q; adeò Deitas ipsa. Sed facessant hæc deliria. Inhabitatio corporalis Deitatis in Christo, omnium Orthodoxorum consensu, est ipsa personalis vnio Deitatis & massæ assumtæ in vnum quasi corpus, hoc est, in vnam Personam: qua Deitas non tantum per assistentiam aut donorum gratiam, vt in alijs Sanctis, sed per hypostaticam consociationem in hoc homine subsistit. Neq; recitabo hîc Patrum sententias. Vnio verò neq; realem eius modi communicationem idiomatũ, neq; abstractiuas prædicationes vnius naturæ eiusq; proprietatum, de altera, efficit vel admittit. Non enim propter vnionem Humanitas est Deitas aut Deus, sed Homo Deus est.*

6. Eph. 4. 10. Christus ascendit supra omnes cœlos, vt impleret omnia. *Si abstractè de Humanitate intelligi debet hæc impletio*

*impletio: concedant eandem de cælo descendisse. Idem enim qui ascendit, prius descendit. De Persona igitur concretè loquitur Apostolus in primo genere ascensionem ac descensum tribuens uni & eidem Christo, secundum diuersas naturas. Vt enim corpore de terra in cælum reuera ascendit: sic seruilis forma susceptio & cum hominibus in terris conuersatio, quidam fuit quasi Deitatis de cælo descensus.*

*Implerionem verò omnium, non esse repletiuam corporis omni præsentiam seu vbiquitatem: sed totius personæ ἀναπλήρωμα, hoc est, redundantem illam cælestium donorum in vniuersa & singula Ecclesiæ membra effusionem, sæpius à Christo promissam, & ascensioni ac glorificationi eius reseruatam: multi etiam ex aduersarijs hodiè fatentur ac defendunt: & non modò Apostoli scopus, sed sequentia etiam eius loci verba, de datis Ecclesiæ Apostolis, Prophetis, Euangelistis, Pastoribus, doctoribus: & postremus primi capitis versiculus manifestè satis euincunt. Quarè ne hic quidem, quod quærunt, inueniunt, si vel cleant his lucernam accendant.*

Ephes. 1. 20. Pater collocauit Christum ad dextram suam in cœlis: & passim Christus ad dextram Patris dicitur. 7.

*Quid de dextra Dei vbiquitate philosophati sint multi, vt carnis vbiquitatem astruerent, notum est. Pudet eius nunc Apologetas, & quosdam alios, qui multipræsentiam hodiè malunt: Quasi verò dextra Dei nunc restrictior in omnibus locis esse caperit: & Christus in Cœna duntaxat ad dextram Dei sedeat. Sic igitur ineptissimè nunc argumentantur. Dextra Dei est vbique; Humanitas Christi sedet ad dextram Dei. Ergo Christus potest corpore suo esse vbicunq; vult. Sed mitto ista. Subiectum huius attributi in scripturis perpetuò concretum est. Quid ergo ad regulam? Attributum ἀξίωμα regium esse, Apostolus testatur 1. Cor. 15. Oportet eum regnare: quod Dauid in Psalmo Sessionem ad dextram vocauerat. Monstrent Sessionem istam in scripturis vel Deo Patri, vel Spiritui sancto tribui aut reuerà competere: ac*

*non potius ſolius Filij Dei Mediatoris θεανθρώπου in Regno & Sacerdotio exaltati conſummatam gloriam eſſe, & eam Idioma χριστῶδες eſſe credemus, regulamq; hîc admittemus. Diſcant ipſi potius diſcernere inter dextram Dei, quæ abſolutè ſignificat Omnipotentiam Dei: & inter ſedere ad dextram Dei, quæ ſcriptura phraſis eſt, imperium & Maieſtatem Mediatoris exaltati denotans: ad quam Maieſtatem neq; omnipotentia neq; vbiquitas humanitatis pertinet: quia non vbiq; ſed in cælis ad dextram Patris ſedere dicitur: neq; etiam humana natura per hanc gloriam in æternum exæquatur diuinæ, aut fit Deus: ſed manet creatura, tùm eſſentiæ proprietate, tùm potentia & dotibus finita, licet cunctis*

1.Co.15.28. *creaturis alijs, ipſiſq; Angelis ſuperior. Nam & Filius in gloria ſubijcietur ei, qui ſubiecit ipſi omnia: nempe quatenus Mediator & homo eſt. Diſcant, inquam, iſta in ſcripturis ritè diſcernere, & intelligent, paralogismum illum ſuum, de dextra Dei, cum dicunt.*

*Dextra Dei eſt vbiq;*
*Humana natura Chriſti ſedet ad dextram Dei*
*Ergo vbiq; eſt:*

*non magis concludere, quàm ſi quis ſic colligat:*

*Cælum & terra ſunt corpora finita & rotunda.*
*Deus eſt in cælo & in terra*
*Ergo Deus eſt corpus finitum & rotundum.*

*Vt enim aliud eſt cælum & terra: aliud præſentia Dei in cælo & in terra: ſic aliud eſt dextra Dei: aliud Chriſti ad dextram Dei ſeſſio.*

3. Ioh.3.34. Pater dat Filio Spiritum non ad menſuram.

*Vbi verò hîc etiam abſtractum eſt ſubiectum? Si ſensum ſpectare extipiant, quod Filio dederit ſecundum humanitatem: nos phraſin vrgemus, ac regulæ conuenire negamus. Neq; probabunt vnquam, omnipotentiã & vbiquitatem eſſe inter dona Spiritus ſancti, de quibus Iohannes loquitur. Deniq; ſi dari Filio Spiritum non ad menſuram, idem eſt, quod humanitati à λόγῳ vi vnionis realiter communicari Diuina idiomata: errorem Sabellij & Patri-*

*trispaßianorum non effugiunt. Ex ipsorum enim hypothesi, quod communicatio illa sit facta per vnionem, necessariò sequitur; Patrem qui dat Filio Spiritum non ad mensuram: humanitati personaliter vnitum, hoc est, incarnatum esse. Et hac absurditate argumentum eorum de datis humanitati à Patre omnibus & perpetuò laborat: vt infrà ostendam.*

Dan. 7. 14. Phil. 2. 10. Hebr. 1, 6. Adorent eum omnes sancti angeli eius. *Hîc adorationis cultus non humanæ naturæ abstractiuè, sed Christo ☾ Mediatori attribuitur in cõcreto. Quid igitur ad regulam facit exemplum? ☾ At, inquiunt, λατρεία adorationis est solius Dei propria: vna autẽ λατρεία adoramus Christum secundum vtranq; naturam. Ergo humanitati etiam debetur quod solius Dei est proprium. Respondeo rursus: de Scripturæ phrasibus agi: non de glossis. Nusquam verò scriptura humanitati abstractè, seu hoc, seu aliud aliquod Dei idioma attribuit: sed persona semper in concreto. Sed adrem: Primùm, quatuor in argumento sunt termini. ☾ Adorationis námque cultus, quatenus proprium Dei est, non debet confundi cum axiomate officij ☾ Mediatoris, quod est Christi proprium, quem adoramus quidem, vt Deum, & ideo quia vnus cum Patre & Spiritu sancto Deus est (non enim, inquit ☾ Ambrosius, ipse dominus adorari se pateretur, nisi quia Deus est) Sed non tantum absolutè vt Deum, verum etiam vt Regem. Sacerdotem & caput Ecclesiæ, ἐπίτλω καὶ μεσίτλω nostrum. Cultus enim seu adoratio, qua Christo à creaturis & Angelis omnibus defertur, non tantùm est honor ille omnipotentiæ, omniscientiæ, & omnipræsentiæ, qui ei absolutè & communiter cum Patre & Spiritu sancto, vt soli vero Deo tribuitur: Sed tota illa ἀξία, quam tùm Personæ, tùm verò officij ratione, secundum vtranq; naturam ei, vt ☾ Mediatori θεανθρώπῳ Scriptura propriam vendicat, & fide à nobis vult agnosci ac celebrari. Sic enim distinguit dominus ipse, cũ iubet nos Patrem* Ad Romã. cap. 24. Ioh. 16. 23. *inuocare* IN NOMINE SVO. *Inuocamus igitur Christum, quia verus cũ Patre & Spiritu sancto Deus: λατρεία, vt sic loquar, Deitatis absoluta: Inuocamus quoque Deum in nomine*

*Christi, quia Mediator, petentes nos audiri propter huius personæ θεανθρώπου λύτρον & intercessionem: quæ λατρεία Mediatoris solius est propria. Vnde manifestum est, gemino quasi respectu in adorationis cultu fidem nostram Christum intueri: vno quidem, vt Deus est vnus & individuus cum Patre & Spiritu sancto, à quo solo bona omnia petuntur: altero, vt est Mediator, in cuius nomine tantùm rogata omnia accipiuntur: ideoq; cultum hunc Mediatoris proprium cum absolutis Dei idiomatis non esse confundendum.*

*Secundò, rectè explicanda est Assumtio, vt vitetur naturarum confusio. Vna enim, non respectu & gradu, sed numero λατρείᾳ adoramus Christum secundum vtranq; formam. Etenim fides nostra, vt non in Agnitione Christi, sic neq; in eius inuocatione cõfundit eius naturas: scilicet in vna adoratione, & vt Deum, & vt fratrem nostrũ intuetur, tribuens ei iuxta vtranq; formam, quod secundum Scripturas oportet, ac petens, vt in opere exauditionis, tanquam officij apoteleſmate, secundum vtranq; naturam agat, quod suum est: hoc est, inspiciat corda, audiat gemitus, det Spiritum Sanctum & alia bona: immensa Deitatis suæ sapientia & potentia: approbet preces & exauditionem, etiam humana sua*

Apo.22.20 *voluntate. Sic precatur Ecclesia:* Etiam veni Domine Iesu: *nõ vt sua etiam Deitate conspicuus veniat in nubibus, sed sua humanitate: liberet verò & glorificet Ecclesiam, diuina omnipotentia sua: vnus & idem ille Dominus Iesus. Hac perspicua, pia & Orthodoxa sine dubio est de adoratione Christi sententia: Augustinus distinctionem hanc exprimit Tractat. 23. in Iohan.* Honoratur homo Christus, sed non sicut Pater Deus. Quare? Quia secundum hoc dixit: Pater maior me est. Quando autem honorificatur Filius, sicut honorificatur Pater? Cũ in principio erat verbum, & verbum erat apud Deum, & omnia per ipsum facta sunt. Et ideò in hac honorificatione, secunda quid ait? Qui non honorificat Filium, non honorificat Patrem, qui misit illum. Non est missus filius, nisi quia factus est homo. *Et eodem Tractatu paulò antè:* Fa-

ctus

ctus est homo Deus. Ibi habes aliquid propter infirmitatē tuam: ibi habes aliquid propter perfectionem tuam. Erigat te Christus per id quod homo est: ducat te per id quod Deus & homo est: perducat te ad id quod Deus est. *Calumnias hîc non attingam, quibus vbiquitarij non sanè nostram, sed Athanasii, Cyrilli, Augustini, Hieronymi, Damasceni, totiusq; Ecclesia doctrinam lacerant. Responsum à nostris satis est: sed facilius fuit Apologetis Erfurtensibus in Danaum absentem debacchari, quàm ea, quæ Germanica Admonitio de vera Christi adoratione solidissimè scripsit, vel improbare vel refutare. Ad ea igitur iuniores remitto. Hoc tantùm addam, quod & iuniores observent, non modò labefactari ab aduersarijs firmissimum Deitatis Christi argumentum, quod apud Patres frequentissimum est contra hæreticos: sed & naturas in Christo manifestè confundi, cum sic argumentantur:*

Admon. Neustad. Germ. pa. 710.

*λατρεία adorationis tribui Deitati immensitatem sapientiæ, potentiæ, & præsentiæ.*

*Adoramus autem Christum vna λατρεία secundum vtrámque naturam.*

*Ergo etiam Humanitati tribuit adoratio omnipotentiam & vbiquitatem. Quid enim in Deo esse potest, quod λατρεία adorationis ei non tribuat? Agnoscimus certè æternum, incorporeum, essentiâ immensum, conditorem rerum, repletiuè præsentem vbíque. An verò hæc etiam humanitati tribuimus?*

*Hactenus ne vnum quidem ex locis recitatis fauere nouo huic commento ostensum est. Glossas enim & σοφὰ quorum dum φάρμακα non moramur: de phrasibus Scripturæ quæritur, an ad regulam congruant. Vtrum potestate abstracta sint, & glossas ipsorum admittant, noua quæstio est, quàm hîc ingredi non libet. Vnius vero argumenti complexu de datis in tempore omnes continētur, de quo mox dicendum erit. Sed restant alia duo loca, quæ propiùs ad regulam accedere videntur.*

Ioh. 8. 51. Ego sum panis vitæ, qui de cælo descendi. Si quis ederit ex hoc pane, viuet in æternum: & panis quem 10.

ego dabo, est Caro mea, quam dabo pro mundi vita.

*Hinc Synodus Ephesina rectè cõclusit: Carnem Christi viuificam esse: & rursus contra Nestorium: non esse alicuius per se hominis carnem, sed Filij Dei carnem: ex diuina operatione Christum personam θεάνθρωπον esse demonstrans. Hac vbiquitarij per peram ad realem idiomatum communicationem rapiunt. Non enim Ephesini Patres, quod ipsi faciunt, ex vnione personali diuinorum idiomatum realem in carnem transfusionem, & carnis θεοπρέπειαν concludebant; Sed contra potiùs, ex diuino opere, quod carni sua Christus tribuit, vnionem demonstrabant. Ac profectò, si rem benè obseruent aduersarij, haud parum ipsi suo figmento decretum Synodi labefactant: dum elusionem Nestorij suo patrocinio comprobant. Synodus enim statuebat, carnem viuificam dici non posse, nisi cui verbum cuncta viuificans personaliter coniunctum sit. Elusit hoc Nestorius, viuificam nihilominus dici posse, cui diuina inhabitatione λόγος vim viuificatricem realiter communicasset. Concedebat enim, carnem Christi viuificam dici posse: sed causſam tanta virtutis non concedebat esse vnionem hypostaticam carnis, cum viuificante λόγῳ: Sed diuinam quandam in hoc homine Iesu habitationem, vt ex vndecimo anathematismo Cyrilli constat, hoc est, realem diuina virtutis seu ἐνεργείας cum hoc homine communicationem, per singularis cuiusdam coniunctionis Dei cum eo dignitatem. Ab hoc Nestorij dogmate non multò longiùs abest vbiquitariorum opinio, quàm talum Brentianum ab inferno. An non enim, dum nos causſam viuificationis carnis in vnione & officio ostendimus, ipſ vociferantur nihil nos dicere: nihil carni Christi tribuere, ergo num ἀεργὸν eam facere: nisi etiam fateamur, carnem Christi ad viuificationis virtutem ita consciendisse, vt eâdem cum λόγῳ virtute viuificatrice realiter seu pradita, cunctaq;, vt λόγος ipse, viuificet? Causſam igitur, cur Christi caro dicatur viuifica, non credunt esse ipsam vnionem, sed, quam ex vnione sequi fingunt, idiomatum diuinorũ cum carne communicationem, qua secundum ipsos specifica est vnionis differentia. Atqui Nestorius talem com-*

Nestorianismus vbiquitariorum atque etiam Arianismus.

communicationem non negabat: & negabat tamen vnionem. Dicebat enim communicationem illam etiam fieri posse per diuina gratia inhabitationem siue assistentiam: quam sententiam etiam hodie Arianiin Transsyluania defendunt. Videatur Thomas de vnione Nestoriana, & cogitetur, quantum abea distet vbiquitaria: si hoc vnum excipias, quod Nestorius etiam à voce vnionis hypostatica abhorruit, quam isti retinent. Sū. Theol. parte 3. q. 2. ad 6.

Sed omissis istis, ad rem respondeo. Ne hic quidem locus ad regulam ipsorum quadrat, quantumuis prima fronte videatur. Si enim subiectum simpliciter abstractum est, & Caro mea, idem valet, quod humanitas mea; fatendum fuerit cum Svuencfeldio, eandem calitus delapsam esse. De eodem enim pane, hoc est, Carne, dicitur, & quòd de cælo venerit, & quòd viuificet. De Carne itaq; Christus loquitur non absolutè, vt caro, vel natura humana erat, sed vt Caro erat Eius propria, & quidem pro vita mundi tradita, a: fideli corde manducata, hoc est, de carne cum viuificãte λόγῳ coniuncta. Ego enim, inquit, sum panis viuificus qui è cælo descendi. Et: Qui edit meam carnem, in ME manet, & ego in eo. Et: Qui ederit ME, viuet propter me. Liquet ergo subiectum voce quidem abstractum: potestate verò ac sensu verè concretum esse. Non enim Humanitas tantùm, sed Humanitas vita vnita, hoc est, totus ipse ἀνθρωπος Christus, & quidem in mortem traditus, fideq; receptus, Panis vitæ est.

Sed detur sanè, subiectum merè abstractum esse. An non viuificatio, quatenus carni à Christo attribuitur, ἀποτέλεσμα est officij Mediatoris in quo vtraq; natura, quod suum est, agit cum alterius communione? Nam de viuificatione Christus, vt de effectu mortis sua, & spiritualis nostri cum ipso coniunctionis, loquitur. Carni autem sua vendicat, non quod præcipuè, aut solius sit carnis, aut eodem modo sit carnis, quo est Diuinitatis: sed quia in carne mortem sensit, & vitam instauravit: & carni sua per Spiritum insitos fideles, verè demùm viuificat. Dedit enim, inquit Cyrillus, pro vita omnium corpus suum Dominus, & per illud rursus vitam in nobis immittit. In Ioh. lib. 4. c. 12.

Artic. de Iustific.

*Ipsa etiam Bergensis Concordia fatetur, viuificationem in scripturis & scholis Theologicis aliâs iustificationem ipsam, aliâs regenerationem notare, & vtrang; inter ἀποτελέσματα rectè connumerat. Quidni igitur de viuificatione idem dicatur?*

*Ceterùm, cur aliqui ex vetustis Patribus viuificationem hîc absolutè, vt Dei actionem seu opus acceperint potiùs, quàm vt* In fine tertij argumenti. θεανδρικὴν ἐνέργειαν *id & suprà explicatum, & nihil ad vbiquitatem carnis probandam facere, ostensum est. Sic igitur & hunc locum ἀπερισπάστως esse liquet.*

11. 1. Ioh. 1. 7. Sanguis Iesu Christi mundat nos ab omni peccato. *Quàm puerile est, sanguinem hîc de natura humana interpretari: ac non animaduertere ad phrasin Scripturæ, quæ σωεκδοχικῶς passim vniuersum redemtionis nostræ mysterium Sanguini, hoc est, cruento Christi sacrificio, morte carnis peracto attribuitur. An enim obedientia & λύτρον, quod sanguinis nomine significatur, humana tantùm natura est? ac non potiùs totius personæ Mediatoris?*

*Et quæ hæc est tyrannis, obtrudere Ecclesiæ pro orthodoxa hãc phrasin: Humana natura mundat nos ab omni peccato: Illam verò quæ semel in Admonitione occurrit: Humana natura patitur, moritur: morosè abijcere, & vt Nestorianum exagitare? Quod si vel cum Augustino dixissemus: Solam carnem in sepulchro iacuisse, vel cum Luthero: Solam Diuinitatem omnia videre & scire: Deus bone, quam dicam nobis non scriberent? Sed esto quod volunt. Certè ἀπολύτρωσις siuè καθαρισμὸς à peccatis, non minus etiam quam viuificatio theandricum opus est, in quo & Diuinitas & Humanitas suas agit partes: neq; sequitur: Diuinitas viuificat & mũdat à peccatis: Et Caro nos viuificare: Sanguis mundare dicitur. Ergo Caro & Sanguis viuificat ac mundat sicut Diuinitas. Est enim idem quidem & vnum opus viuificationis & mundationis totius personæ secundum vtranq; naturam, sed non eadem & vna in operis illius effectione vtriusq; actio. Totum autem opus de altera natura dicitur* σωεκδοχικῶς *respectu partis officij, seu illarum operationum, quæ sunt eius naturæ propriæ:*

Serm. 119. in Matth. In Explic. Epistolæ natal. ex Hebr. 1.

*quæ*

*qua de re plura iuniores legant in octauo Admonitionis capite: si-* pag. 271.
*mulq; obseruent: eandem hanc mundationem à peccatis alibi in Scripturis toti personæ concretè attribui: cum Angelus dicit:* Ipse saluabit populum suum ex peccatis ipsius: *Et Iohannes:* Matt. 1 21.
Qui dilexit nos, & lauit nos à peccatis nostris per san- Apoc. 1. 5.
guinem suum: *quibus verbis optimum agit sui ipsius interpretem.*

*Hæc sunt scripturæ loca, quibus ad obtinendam vbiquitatem tertium genus enunciationum defenditur: quæ breuiter ad normam ipsorum componere libuit, vt intelligant iuniores, allegationes istas perpetua quadam petitione principij laborare: ac dum modò quis scripturæ phrasin diligenter obseruet, laruatos istos leones nemini extimescendos esse.*

*Restant duæ argumentorum classes: Similitudines quinq; corporis & animæ: Solis & lucis: Prunæ ardentis: Gladij & ferri candentis: qua postrema cum primis delectantur: Sententiæ item Patrum, quibus idiomata diuina Humanitati abstractè attribui videntur.* Duæ posteriores argumentorum classes.

*Sed nescio, an sit operæ pretium, hanc Iliada seu Labyrinthum potius nunc ingredi, in quo ipsi aduersarij miserè satagunt, neq; exitum vllum inueniunt. Video enim à plurimis eruditis similitudines illas diligenter iam esse excussas. Tum etiam hoc pugnæ genus neq; præcipuum est, neq; adolescentum viribus aptum. Nec fas est, discentium animos à sacris literis auocare ad hominum scripta, quorum lectio maturo iudicio eget. Voluantur & reuoluantur præcipui vbiquitariorum libri, qui proximis hisce annis prodiêre, & verum esse constabit, quod iam dico: parcissimè eos ac valdè trepidè scripturas delibare: vt si ex his solis caussam nobiscum disceptare ipsis collibeat, citò inermes futuri, campoq; cessuri sint: totos verò exercitus Patrum in aciem contra nos ducere, omnesq; pagellas aut prunis suis ardentibus, aut ferro gladioue candenti munire, nec non omnem victoriæ spem in istis ponere. Sed ne quicquam terrent eos, qui scripturæ armis probè muniti ad certamen accedunt.*

*Non itaq; fert animus, singula retexere: quàm frigidè enim diluant Apologetæ ea, quæ de similitudinibus Admonitione Neustadiana responsa fuerunt, ab alijs iam est ostensum. Tantum, quid vniuersè respondere debeant, breuissimè iunioribus explicabo.*

Ad similitudines responsio generalis.

*De similibus, quæ à Patribus Orthodoxis quandoque vel ad vnionem, contra Arium Nestoriumq́: vel ad distinctionem naturarum contra Eutychen, illustrandã, vsurpata esse constat: hodiè verò ad pingẽdam realem diuinorum idiomatum in carnem transfusionẽ ab vbiquitarijs detorquentur: Respondeant iuniores*

1. In Phœdone.

*quod Simmiæ Socrates apud Platonem dicit:* ἐγὼ δὲ τοῖς διὰ τῶν εἰκότων τὰς ἀποδείξεις ποιουμένοις λόγοις ξύνοιδα οὖσιν ἀλαζόσιν, καὶ ἄν τις αὐτοὺς μὴ φυλάττηται, εὖ μάλα ἐξαπατῶσι, καὶ ἐν γεωμετρίᾳ, καὶ ἐν τοῖς ἄλλοις ἅπασι. *hoc est, Ego vero arbitror, eos sermones, qui res conantur docere per quædam tantum verisimilia, ad ostentationem esse comparatos, & nisi quis diligenter cauerit, maximè esse fallaces, & in geometria, & in omnibus alijs disciplinis. Cùm enim Simmiæ opinio* ψυχὴν εἶναι ἁρμονίαν *probabili tantum exemplo seu similitudine consensus sonorum in lyra niteretur: opportunè monet Socrates, similibus non esse temerè tribuendam fidem.*

2. *Illud quoq́ in scholis vulgatum respondeant: Infirmissimum esse argumentorum genus, quod ex loco similium petitur: quia rarissimè similia currunt quatuor pedibus: eoq́ non ad demonstrandum, sed ad demonstrata illustrandum tantùm valere.*

3. Lib. 3. cap. 26. Orth. fid.

*Addant etiam ex Damasceno: Hæc ipsa similia dissimilitudinis plurimum habere.* Non enim, *inquit ille,* necesse est, omni modè exempla imaginem referre, quandoquidem necesse est in exemplis & simile contemplari & dissimile.

4. *Deniq; hoc etiam: In alienum scopum hodie Patrum similia torqueri. Quæ enim illi ad vnionem carnis cum* λόγῳ, *actionesq́* θεανδρικὰς *vtriq; naturæ communes illustrandas dixerunt: ea isti hodiè ad nouum carnis* ἀποθέωσιν, *& communicationem idiomatum non reciprocam rapiunt: Verbi caussa, quod Damascenus vnionem verbi & carnis inseparabilem comparat immeationi*

*ignis*

*ignis in gladium: vocatq; περιχώρησιν: id isti de reali omnipotentia, omniscientia & omnipraesentia in carnē transfusione interpretantur: cum expresse scribit:* Diuinam naturam semel im- Lib.3. c.19.
meantem per carnem, dedisse carni ad ipsam ineffabilem immeantiam & immensionem, quam profectò inquit VNIONEM dicimus. *Vtrunq; contra istos facit, quod περιχώρησιν & ipsam esse vnionem, & reciprocam esse docet. Et idem Damascenus paulò antè περιχώρησιν naturarum expressis verbis* cap. 17.
*mutuam esse dixit. Quid ergo sibi vult περιχώρησις vbiquitaria non mutua?*

*Patrum autoritates, h.e. locutiones abstractiuas, quas ex Patribus pro Gorgone nobis ostentant, quid attinet sigillatim perse-* Ad Patrū autoritates respon sio generalis.
*qui? Sunt enim reuerà δεύτερος πλοῦς, altera nauigatio, qua frustrà se defatigant ij, qui scripturæ sacræ ventos aduersos habent. Itaq; hîc etiam paucis tantùm, quid ad hanc argumentorum classem generatim regeri debeat, ostendam:*

*Initio igitur opponatur grauissima illa D. Iohannis sententia:* 1.
*εἰ μαρτυρίαν τῶν ἀνθρώπων λαμβάνομεν, ἡ μαρτυρία τοῦ θεοῦ μείζων ἐστίν. Hinc enim efficitur, parum firmiter asseri dogmata hominum quantumuis praestantissimorum testimonijs, absq; Dei* 1. Ioh. 5. 9.
*verbo: quod vtrum patrocinetur vbiquitariæ causæ, prius est demonstratum.*

*Ac ne iniuriam fieri sanctorum patrum scriptis hoc modo quis arbitretur, addatur illud, quod Ambrosius de suis alicubi libris ad Irenæum scripsit:* Ego beneficio annumero, si quis Lib. 7. Epi. 47.
mea legens scripta, dicat mihi, quod moueatur, quia & in ijs, quæ scio falli possum: *In quam sententiam multa Patres de libris suis scripta reliquerunt.*

*Posteà reuocandæ sunt Patrum sententiæ ad doctrinam supra* 2.
*expositam: & liquebit, pleraq; non multò magis, quàm ipsa etiam Scripturæ dicta, ad regulam tertij generis congruere. Etsi enim subiecta abstracta, vt humanitas, humana natura, Caro, Corpus Christi &c. passim occurrunt: tamen de attributorum differentijs diligenter hîc est cogitandum: ne vel ἀποτελέσματα vel ἀξιώ*

ματα officij Mediatoris, vel etiam χαρακτώματα carnis, cum absolutis & essentialibus Dei proprietatibus confundantur. Sepè Patres in disputationibus contra Arium & Nestorium carni & humanitati tribuunt opera theandrica, vt veram seu hypostaticam eius cum λόγῳ vero & æterno Deo vnionem euincant. Vt cum Cyrillus ait: Viuifica est hæc caro, quoniam habet verbum Dei, quod naturaliter vita est. Et alibi: Quomodò igitur caro viuificat? Secundum vnionem cum viuente verbo. Hinc non mox sequitur: Ergo humanitati realiter communicata sunt idiomata diuina: Sed hoc tantum: Ergo humanitas Deitati hypostaticè vnita est, & realiter cooperatur in viuificationis opere: quod ominò est verissimum. Non enim est ὄργανον ἄργὸν vt quidam calumniantur, sed efficaciter eadem opera theandrica cum diuinitate operatur, licèt alia sit eius, alia diuinitatis in eorum effectione actio.

In Ioh. lib 4. c. 15. Ad Theodos.

Sepè in eundem finem ἀξιώματα officij, (quibus profectò vt suprà dictum est, summa etiam perfectio naturæ assumtæ iam indè ab vnione ipsa ad extremam vsq; euectionem exprimitur) humanitati asscribũt, ac præclarè, non tàm contra hæreticos, quàm contra Satanæ insultus, & naturæ nostræ indignitatem pradicant: vt cum dicit Chrysostomus: Quæ natura antea audiuerat. Terra es, & in terram reuerteris: nunc audit: Sede à dextris meis. Item: Corpus dominicum est ad quod dicitur: Sede à dextris meis. Et talia sexcẽta. Hinc neq; exæquatio naturarum, neq; realis diuinorum idiomatum in carnem effusio conficitur: vt prius ostensum est. Nam etiam in sublimitate dextræ Dei manet assumta natura inæqualis Deitati, & finita creaturæ. neq; per euectionem creuit vnio personalis, aut vnionis specifica differentia: Sed humanitatis perfectio & gloria: quam cum idiomatis Dei essentialibus, hoc est, ipsa Dei essentia. Nemo nisi Eutyches & Svuencfeldius confundit. Quare huius generis attributa, quæcunq; de axiomatis officij totius personæ, & in his de prærogatiuis atq; gloria naturæ assumtæ loquuntur, ab alijs diligenter discernenda sunt.

Serm. de ascens.

Sepè

*Sepè denig, Patres carnis dignitatem prædicantes, vnionem ipſam eius cùm Dei verbo ſpectant, & contra Neſtorium alioſue hæreticos vrgent; vt Origenes:* Anima Chriſti tota totum λόγον recipiens atque in eius lucem ſplendorémque cedens, hac mediante verbum caro factum eſt. *Athanaſius:* Diabolus non credidit, carnem Chriſti verbi virtute roboratam. *Epiphanius:* Cum λόγῳ in omnibus ſanctis ſit: ſolus Mariæ Filius vocatur Immanuel, quod eſt, nobiſcũ Deus: tanquam corpore pleno Deitatis. *Et Baſilius:* Humana natura particeps facta eſt Deitatis. *Et Damaſcenus:* Quandoque ex meliori ſermonem facimus, & deificationem carnis, & verbi factionem, & ὑπερύψωσιν dicimus: & id genus carni diuitias aggenitas ex vnione & cognatione ad altiſſimum Deum verbum inſinuantes. *Hîc per θέωσιν, ὑπερύψωσιν, & πλεῖστον σαρκὸς, non ſignificari realem illam idiomatum diuinorum in carnem ἔκχυσιν, vt ipſi volunt: Sed perſonale carnis cum verbo commercium, ac dignitatem, quam per vnionem habet: ex contextu Damaſceni manifeſtius eſt, quam vt, vt vlla Sophiſtica obſcurari poſſit. Nam eodem modo dicit Incarnationem Dei verbi ex inferiore natura appellari humanationem, exinanitionem, pauperiem, humiliationem: quo ex ſuperiore natura appellatur carnis Deificatio, & verbifactio, & ſuperexaltatio, & id genus diuitia carni ex vnione aggenita. Hoc autem fit, cum in primo genere dicimus: Deus eſt homo, exinaniuit ſe: factus eſt pauper: eſt crucifixus, mortuus. &c. Et viciſſim: Homo eſt Deus, omnipotens, omniprasens. &c. Non autem, cum vbiquitarij dicunt ex ſuperiore: Humanitas eſt Deus, omnipotens, omniprasẽs. &c. Ex inferiore non item: Deitas eſt homo, pauper: eſt paſſa, mortua &c. Idèo mox addit Damaſcenus:* Nam propter vnionem ſecundum ὑπόϛασιν & caro deificari dicitur, & Deus fieri: & viciſſim, Deus verbum incarnari, & caro fieri, & creatura dicitur, & nouiſſimus vocatur. *Hæc profectò non aliter, quàm de vnione & idiomatum communicatione perſonali & mutua intelligi poſſunt.*

De princ. lib. 2. ca. 6.

De Paſſione in Oliueto. Libr. 2. Contr. D.

Lib. 4. c. 19.

D. Chem. de duab. naturis pag. 424.

3. *Obseruandum est quoq́, Patres non rarò extra aleam disputationum liberius loqui: ac naturis tribuere, quod personæ in concreto tribuendum erat: negare item de concreto, quod de natura altera negandum fuerat. Sic solam carnem iacuisse in sepulcro*
Serm. 119. *Augustinus scripsit: cum Apostolus, Dominum gloriæ crucifixum esse: Historia Euangelica: Christum iacuisse in sepulcro dicat.*
De Arr. & Cath. cõf. *Athanasius verò:* Non ergò, *inquit*, Deus est creatura: sed homo: non sepelitur Deus, qui vita est: sed caro neque ab imis resurgit Deus, qui vbique & super omnes est, sed Homo resurgit in Deum. *Et ibidem:* Ignorat homo, quod non ignorat Deus: *& similia passim occurrunt quæ si nostra essent, Nestorianismi calumniam non effugerent. Et agnoscit has ἀνυφολογίας D. Chemnitius, multis in vtranq́ partem exemplis recitatis. Cautè itaq́ in hoc pelago nauigandum, plurimaq́ circunspectione opus esse censeo, vt firma probationis argumentum hic eliciatur.*
De duab. naturis. pag 206.

4. *Deniq́ de tribus, vt ille ait, capellis, hoc est, de re controuersa quæratur: quisnam ex Patribus, quo loco, quibus verbis, quo argumento* VBIQVITATEM *carni tribuerit. Cõtrarium*
Ad Dardã. *nostri Theologi tum disertis Augustini verbis, tum ex Scholasticis iampridem demonstrarunt. Producãt illi nũc suos Patres de* VBIQVITATE *carnis testantes: quod nisi fecerint, oleum & operam farraginum suarum sibi perijsse sciant. Certè catalogus Bergensis & Chemnitianus de vbiquitate seu omnipræsentia, ne Gry quidem. Nec sequitur, sicut Ephesina Synodus ex Dei verbo contra Nestorium concluſit, Carnem Christi viuificam & Dei carnem esse: Sic licuisse Bergensibus, aut licere Theologis alijs dicere, Carnem Christi omnipræsentem, & Deum esse. Nequid enim de ordine & autoritate iudiciorum Ecclesiasticorum quam isti neq́ repræsentant, neq́ obseruant, dicam: nemo iam non intelligit, viuificationem opus theandricum esse, vtriusque naturæ actione perfectum: ideoq́ tàm naturis quodam modo tribui posse quàm personæ simpliciter tribuitur. At omnipræsentia talis est immensa & infinita naturæ proprietas, quæ, vt ait Bonauen-*

*tura,*

*tura.* Vni atque soli Deo competit, vt nulli prorsus creaturæ, ac ne ipsi quidem naturæ humanæ Christi in vnitate personæ realiter communicari possit. Lib. 1. Sen. dist. 37. art. 2. qu. 1.

*Hæc pro ratione huius instituti breuiter monere de classibus argumentorum aduersæ partis volui: quæ meo iudicio, non parum lucis toti controuersiæ afferunt. Nec esset iam difficile, sigillatim quæq; persequi, præsertim quæ de Patrum locutionibus monui, nisi me prolixitas deterreret. Ex differentijs enim attributorum modò explicatis omnes nodi sine negocio dissoluuntur.*

*Coronidis igitur loco, vt compendio vtar, duo tantùm argumenta subijciam, quorum ambitu comprehendi & explicare posse arbitror, quicquid neruorum & suci vniuersis eiusmodi allegationibus inest.*

Prius argumentum hoc esto.

*Doctrina & phrasis Orthodoxa vetustatis rectè retinetur in Ecclesia. Ea verò humanæ Christi naturæ non tantùm creata & finita dona, sed multa etiam diuina idiomata attribuit.*

*Non ergo tanquam noua, & ignota pia vetustati abijciendæ sunt abstractiua enunciationes tertij generis, quibus Humanitas Christi omnipotēs, omniscia, omnipræsēs, & Deus esse perhibetur*

*Ad Minoris probationem spectat inductio sententiarum ex Patribus magno sudore congestarum. Extat ea in libro D. Chemnitij de duabus naturis in Christo, cap. 25. à pag. 370. vsq; ad pag. 435. Et in calce Concordiæ Bergensis: quanquam editio Heidelbergensis eam caudam non sine caussa resecuit.*

*Breuius & magis perspicuè sic formabitur:*

*Doctrina & phrasis Orthodoxa vetustatis est retinenda.*

*Humanitatem Christi esse viuificam, adorabilem, omniscium, omnipotentem, omnipræsentem & vbiq;, est doctrina & phrasis Orthodoxa vetustatis: quod sententia Patrum docent.*

*Rectè igitur hæ phrases abstractiuæ retinentur.*

*Hic futuū manifestè apparet in minore in qua phrases patrum non controuersas miscent cum suis paradoxis. De viuificatione enim & adoratione carnis Christi damus minorem, & totum ar-*

gumentum rectè intellectum: de omnipotentia, omniscientia & vbiquitate non damus, sed assumi id dicimus, quod maximè in controuersia versatur, eoq; meram esse principij petitionem, quod de Patrum sententijs addunt. Neq; enim tale quid in tota illa farragine sua ostendere possunt. Sed respondebo explicatius.

Primùm: ad Maiorem: Doctrina & phrasis Orthodoxa Ecclesiæ est retinenda: Sed non monstrosè intellecta, nec sophisticè ad nouas opiniones palliandas detorta: Sicut Ariani retinebant quidem phrasin Orthodoxorum: Filium ex Deo Patre verè ante secula genitum esse: & tres esse personas in Deo, vt autor est Socrates: Lib. 2. c. 15. Sed negabant ὁμοούσιαν: & fingebant, decisione vel saltem propagatione sibi ineffabili substantia, Filium ex Patre genitum esse: Sicut de lumine lumen accenditur ὁμοιούσιον sed non ὁμοούσιον, palliantes hoc modo suum illud ἦν ποτὲ, ὅτε οὐκ ἦν. Hoc non erat retinere doctrinam & phrasin Ecclesiæ, sed Deo ac mundo imponere, ac Sermone Ecclesiæ blasphemias horrendas palliare. Sic isti, carnem Christi esse viuificam & adorandam clamant, & Patres citant. At non de phrasi Patrum, sed de glossa istorum quaritur.

Synodus Ephesina contra Nestorium concluſit: carnem Christi esse viuificam, h. e. opus viuificationis Ecclesiæ, non minus propriũ esse Carnis quàm ipsius verbi, quippe quod tàm Carnis quàm verbi coniuncta operatione efficiatur, vt fit in omnibus salutis nostræ apotelesmatis. Hinc verò vnionem Carnis cum verbo personalem confecerunt: vt suprà ostensum est: & ex 11. Anathem. Cyrilli liquet. Nec alia ratio huius phraseos ex Cyrillo & Damasceno ostendi potest, quàm Vnio carnis cum verbo viuificante, & ex vnione manans societas carnis cum eôdem verbo in operis ipsius diuinissimi effectione. Propterea enim Cyrillus totã eam effectam esse viuificam: & totam verbi operationem suscepisse dicit, quia cum viuificante verbo coniuncta est. Libr. 4 cap. 23. in Ioh.

Isti quoties carnem Christi viuificam dicunt, non modò ad vnionem, sed maximè ad realem diuinæ virtutis in carnem ἔνεργειαν respiciunt, & contendunt, in actu viuificãdi eandem planè verbi & carnis ἐνέργειαν esse; hoc tantùm discrimine, quòd verbum

bum ſua eſſentiali, Caro accidentaria, h.e. verbi virtute ſibi realiter communicata viuificet, det Spiritum ſanctum, ſcrutetur & regeneret corda, vitam, iuſtitiam & gloriam infundat. Quorſum id verò? Vt hoc exemplo probent realis illius tranſfuſionis diuinorum idiomatum in carnem figmentum: & ex hoc vbiquitatem: ex hac rursus corporalem in pane Euchariſtico præſentiam: exiſta denig; manducationem oralem.

Atqui identitas illa ἐνεργείας verbi & carnis, identitatem & confuſionẽ vtriuſq; naturæ, neceſſariò efficit. Quorum enim eadem eſt ἐνέργεια, eorum eadem quoque natura & ſubſtantia eſt: & contrà, vt ſuprà ex Damaſceno oſtẽſum eſt. Aliud eſt ergo, eandem verbo & carni ἐνέργειαν, quod vbiquitarij cum Eutyche & Suuencfeldio faciunt, aliud, idem ἐνέργημα & ἀπότελεσμα, quod nos cum Orthodoxa vetuſtate facimus, tribuere. Hoc enim vnionis duarum naturarum in vnam personam efficax contra Neſtorium argumentum: illud confuſionis Eutychianæ ipſiſſimum fundamentum eſt. Hinc idem Damaſcenus ibidem inter ἐνέργειαν & ἐνέργημα diligenter diſtinguit: & in Chriſto ἐνεργείας quidem duas, diuinam diuinæ, humanam humanæ naturæ ac voluntatis vt & duo ἐνεργητικὰ h.e. duas naturas diſtinctè actiuas: ἐνέργημα verò vnum idemq; perpetuò totius personæ agnoſcẽdum eſſe docet, ſicut vnus etiam eſt ὁ ἐνεργῶν h.e. vna persona ſecundum vtrang; naturam agens. Hoccine igitur eſt, retinere phraſin Orthodoxæ antiquitatis? Lib. 3. c. 15.

Haud diſſimiliter alteram de adoratione carnis deprauant: fingentes eam adorabilem & adorandam eſſe, non tam, quia Deo verbo adorabili vnita, & de ſubſtantia eſt Mediatoris θεανθρώπου, cui ſe flectitur omne genu, & in cuius nomine innuocantes tantùm exaudiuntur: quàm quia ex vnione diuinam maieſtatẽ, h.e. omnipotentiam, omniſcientiam & omnipræſentiam realiter eſt conſecuta. Sed de adorationis λατρείᾳ, qua Chriſtum ſecundum vtrang; naturam colit Eccleſia, in explicatione locorum Scripturæ ſatis dictum eſt.

Secundò, falſa eſt aſſumtio, de omnipotentia, omniſcientia, &

vbiquitate humanitatis. Nam non modò non extant apud Patres hæ loquendæ formæ: Sed etiam improbãtur, quoties confusio idiomatum, & identitas actionum vtriusq; naturæ apud Hieronymum, Ambrosium & Damascenum improbatur. Ambrosius abijcit hanc phrasin: Caro est verbum: & Hieronymus hanc: Caro est Deus. Quomodò igitur caro omnipotens, omniscia, omnipræsens dici potest. Si Deus non est? aut si Deus est, cur non æterna, increata, incorporea?

Phrases paradoxę vbiquitariorum.

Tertiò: si retinendæ sunt in Ecclesia phrases piæ vetustatis, quid sibi volunt horribiles illæ καινοφωνίαι, quas defendunt: quòd humana Christi substantia omnia impleat: sit supra, infra, extra & intra omnia loca: in omnibus pyris, pomis, & cantharis ceruisiarijs: in inferno & reliquis: quòd Deus sit Homo secundum quidem humanitatem, caussa vnionis: Homo autẽ sit Deus, & secundum Deitatem per se, & secundum Humanitatem per accidens, propter realiter communicatã carni diuinam mæiestatem: quòd hæc phrasis: Homo est Deus, realiter sit falsa, nisi humanitas realiter sit omnipotens, vbiq;, & Deus: quòd Deitas alia sit participans, qua Christus Deus: alia participata, qua Christus homo sit Deus: Quòd λόγος omnia simpliciter infinitæ suæ potentiæ opera per carnem exerceat, & quidẽ sic exerceat, vt eadẽ actio sit vtriusq; naturæ, puta, quod per carnem scrutetur corda, det Spiritum sanctũ, in sanctis habitet, vbiq; sit præsens, atq; etiam, si placet, suam carnem à morte suscitarit: Quòd Christus in cælũ ascenderit tripliciter: In incarnatione: In resurrectione: & in monte Oliueti: Quòd ascensio visibilis fuerit spectaculũ seu φάντασμα locale, & dispartitio in nubibus: Quòd cælum sit vbiq;: capiat non minùs impios, Satanam & omnes Diabolorum familias, quàm Angelos & beatos homines: Sit Deus ipse, eoq; infinitum & æternum, & (quod consequens est) incarnatum: Quòd Christus nec latum pilum à terræ profectus sit corpore, cum ad patrem iret: Quòd sedeat ad dextram Dei non modò in excelsis, sed etiam in inferno: Quòd sessio ad dextram non sit aliud quàm incarnatio, & cum vnione ipsa in vtero matris cœperit &c. & sexcenti alij huius generis flos-

*floſculi, in horto vbiquitario ſuccreſcentes? Hæc certè περιπλοκήματα, quæ ex ipſorum libris collecta publicè extant, neq; à Concordia Bergenſi damnantur, non patiuntur ſe Antiquitatis dibaphopalliari.*

## Alterum Argumentum.

*Quæ realiter data & communicata ſunt Humanitati vi vnionis: rectè de ea prædicantur etiam abſtractiuè, ſicut de Deitate. At realiter ei ſunt data & cõmunicata vi vnionis multa idiomata Diuina, vt omnipotentia, omniſcientia, omnipræſentia: iuxta dicta: Matth. 11. & 28. Col. 2. Eph. 4. quæ non de Deitate ſed Humanitate accipienda eſſe, regula Patrum, Athanaſij, Theodoreti, Leonis, Vigilij &c. confirmat, quod quicquid Chriſto in tempore datum eſt, id ſecundum Hominem, ſeu ſecundum ſeruilem formam, vt Athanaſius loquitur, ei datum ſit.* Lib. 1. de Arrian. & Cath. cõf.

*Hæc igitur & ſimilia Dei idiomata de Humanitate rectè etiam abſtractiuè prædicantur.*

*Reſponſio: Sepè & rectè à noſtris reſponsum eſt, inſidias, eſſe in verbo* DANDI *ſeu communicandi. Id enim & de vnione ipſa λόγῳ cum carne: & de controuerſa illa diuinorum idiomatum in carnem ἐνεργείᾳ: & denig; de Humanitatis euectione, qua ſummam prærogatiuarum, donorum & gloriæ perfectionem eſt conſecuta, intelligi.* ὁμωνυμία in verbo Dandi. 1. 2. 3.

*Si prima ſignificatione verbum* DANDI *accipiunt: gemino vitio argumentũ laborat. Primùm enim Maior eſt falſa: cùm tota etiam Deitas realiter data & communicata, h. eſt. perſonaliter vnita ſit humanitati: & quidem in tempore: nec tamen de ea prædicari abſtractiuè poſſit. Vnio enim non efficit, vt Humanitas ſit Deitas vel Deus, vel æterna vel incorporea, omnipotens, omnipræſens: Sed vt Homo ſit Deus, æternus, incorporeus, omnipotens, omnipræſens: nempè ſecũdum Deitatem ſuam propriam. Deinde in minore non rectè reſtringitur hæc communicatio, ad aliquatenùs idiomata diuina. Eſt enim vnio carnis facta cum tota Deitate, à qua nullum idioma excludi poteſt. Dicendum igitur fuerit, non tantùm multa, tria vel quatuor: Sed* OMNIA.

*humanitati communicata, h.e. vnita esse, deq; ea praedicari posse sed in concreto: non in abstracto: vt seruetur naturarum distinctio & integritas.*

*Si vel media vel tertia significatione accipiunt: Minor simpliciter falsa est: neq; probari dictis illis Scriptura, aut regula Patrum potest. De scriptura dictis suprà responsum est. Regulam Patrum, cùm in ea* DANDI *verbum eadem laboret ὁμωνυμία, in prima & tertia significatione veram esse agnoscimus: atque sic ad minoris probationem nihil pertinet. Media verò significatione, qua ab aduersarijs capitur, neq; scriptam à Patribus, neq; veram esse demonstrabo.*

De regula Patrum responsio.

*Ac Patribus non venisse in mentem de ista reali diuinorum idiomatum in carnem effusione, qua sit effectus vnionis: sed vel de vnione ipsa, qua natura inuicem data & communicata, h.e. vnita dici possunt: vel saltem, & quidem frequentiùs de habitualibus gratijs carni per euectionē datis eos loqui, quoties* DATA *omnia ad humanitatem referunt: Primùm ipsi aduersarij suómet dogmate imprudentes confirmant: dùm multas & vix tres aut quatuor, non autem* OMNES *proprietates & ἐνεργείας diuinas humanitati realiter communicatas esse docent. Atqui Patres contrà, cum Scriptura dicunt,* OMNIA *Christo secundum hominē data esse de* MVLTIS, *tribus aut quatuor, nusquam quicquam habent. Hæc verò* OMNIA, *si sunt diuina idiomata: quid aliud esse possunt, quam ipsa Deitas, qua tota habitat in Christo corporaliter, & data est humanitati non aliter, quàm vnione? Si habitualia χαρίσματα, quid ad caussam aduersariorum faciunt? Vtroq; sensu videtur Cyrillus lib. 10. cap. 2. Thesauri de his* DATIS *loqui: cum inquit:* Quoniam homo facile potest amittere bona, quæ à Deo accepit, quod Adam perpessus fuerat, denudatus gratia sibi data, per inobedientiam: necesse fuit ne rursus in eadem incideremus, vt incommutabilis DEI Filius factus homo, vt homo GRATIAS DEI peteret, vt per ipsum qui amittere gratias non posset, naturæ nostræ firmiter seruarentur. *Et posteà:*

1.

Pro-

propter nos ipse, vt homo, huiusmodi vocibus vsus est. Nos in ipso vt in homine accepimus, quando carnem assumsit: Nam & nos, quamuis hominis naturâ simus, Dij tamen gratiâ in Christo (qui verus & homo & Deus est) facti sumus.

*Secundò, Scopus patrum nunquam fuit, hac regula confirmare humanitatis omnipotentiam, vbiquitatem vel exaquationem cum verbo: sed defendere veram & aternam τ῀ λόγ῀ Deitatem contra hæreticos, quos sic argutantes Cyrillus ibidem introducit:* 2.
Cui omnia tradita sunt ab alio: nihil is habet à seipso. Sed ipse Christus ait omnia mea tradita sunt mihi à Patre meo. Quomodo igitur secundum substantiam idem erit Patri, qui omnia possidet? *h. e. quomodo verus & vnus erit cum Patre Deus? Hic gemina responsione vtebantur Orthodoxi: Primùm distinctione Maioris: cum sane non esse verum & vnum cum Patre Deum, cui omnia sint ab alio tradita, nempe, in tempore, & ita, quasi ea ipse naturaliter non habeat. At, inquit Cyrillus:* Non quoniam ipse non habet, accipere aliquid à Patre Filius scribitur. Habet enim omnia naturaliter, cùm verbum & splendor lucis paternæ sit, vno solo excepto, quòd Pater non est. Accipere autem à patre se dixit, vt futuras hæreticorũ (*Sabellianorũ*) opiniones radicitus euerteret: & cùm alter det, alter accipiat dualitas personarũ demonstretur. Nã cùm ex substãtia Patris Filius prodeat, omian Patris æternaliter habet: æternaliter etiam hac ratione ex eo accipit omnia quæ ipsius Patris sunt. *Hanc verò distinctionem confirmabant ab absurdo.* Si enim, *inquit idem capite sequenti,* nihil ex se ipso Filius habet, Secundum vos, quoniam ipse accepit à Patre omnia: Pater ergò cùm dederit omnia, nihil habet à seipso: quod absurdissimum est. Thes. libr. 10. cap. 1.

*Deindè, quòd hac responsio instantiam hæreticorum pateretur omnia etiam in tempore Christo data esse: addebant alteram, per concessionem argumenti de ea natura, secundum quam in tempore data essent, Humana videlicet, quam fatebantur Deum non es-*

*se: hoc verò Deitati τῷ λόγῳ nihil derogare ostendebant, eo, quòd ipse vnus & idem esset dans & accipiens.* Petit, *inquit ibidem Cyrillus*, accipitque à Patre, quę naturaliter habet, vt Deus: Sed quoniam homo factus est, & carnem sumsit, quæ non alterius, quàm ipsius Filij Dei caro est, iure gloriam petit, qua natura humana eget, & accipit à Patre, atque etiam à se ipso, quæ naturaliter habet vt Deus. Ipse igitur petit, vt Homo: & dat vt Deus, vnà cum Patre. *Hinc igitur Regula frequens apud Patres contra hæreticos extitit: Christum, quicquid in tempore accepit, secundum hominem accepisse. Quid verò ea ad carnis vbiquitatem, de qua Patribus in mentem non venit: & si venisset, alterum argumentum suum, quod à Deitatis proprietatibus, actionibus & attributis proprijs tanquam Achillem fortissimum hæreticis opponebant, imprudentes ipsimet eneruasseni?* OMNIA *igitur h. e. omnem Deitatis plenitudinem, Datam esse Humanitati, gratia vnionis:* OMNIA *item, nempe χαρίσματα & ἀξιώματα ad summam carnis perfectionem & gloriam requisita, eidem data esse gratia habitualis euectionis, Patres docuerunt. In his autem realem illam omnipotentia, omniscientia & vbiquitatis in carnem ἔκχυσιν numerare, & Ecclesia obtrudere: est & sanam Patrum doctrinam peruertere, & principium petere, quod Sophistis conuenit.*

3. *Tertio, firmiter tenemus Regulam Patrum de distinctis naturarum proprietatibus & actionibus, qua apud Hieronymum, Ambrosium, Augustinum, Leonem, Damascenum &c. frequentissimè occurrit: & à Cyrillo, quem, cùm maxime placeat aduersarijs, libenter cito, prolixè eôdem loci in hanc sententiam explicatur:* Quemadmodum igitur, quandò per carnem miracula efficiebat (sputo enim cæcum curauit: & manu extensa, feretroque tacto vnigenitum viduæ filium è mortuis reuocauit, & voce instrumentis corporis emissa: Lazare dixit: veni foras) non ipsi, vt homini hæc sed vt Deo attribuimus: Sic quando humano more aliquid de se ipso dicit, quod alienum à Deitate sua videatur, carni id ipsum accom-

accommodare debemus. Sic enim singula factorum dictorúmque congruè distribuentes, à vera cognitione Saluatoris non aberrabimus. *Et mox:* Quare ipsi quoque nos debemus, quæ Deo vero conueniunt, Diuinitati eius: quæ Homini vero, Humilitati naturę quam propter nos assum sit, accõmodare. *Cum hac regula neq; dogma de reali communicatione idiomatum in natura humana, neq; glossa vbiquitaria alterius regula consistere potest. Si enim diuina omnipotentia & omniscientia opera fecit non vt Homo, sed vt Deus: quorsum de carnis omnipotentia, omniscientia & vbiquitate disputatur? Et cum ista proprietates, nec non ἐνέργειαι ex illis profluentes, citra omnem controuersiam Christo, vt vero Deo conueniant: quis credat, Patres eas inter* DATA *humanitati, eo quidem, quo isti fingunt, sensu numerasse? Quis etiam nõ videat hic manifestum conflictum veteris Orthodoxæ & Nouæ vbiquitariæ Theologiæ? Nos, inquiunt Patres, quando per carnem miracula efficiebat Christus, nõ ipsi vt Homini hæc, sed vt Deo attribuimus. At nos, inquiunt vbiquitarij, ipsi & vt Homini, & vt Deo asscribimus. Nos, inquiunt Patres, quæcunq; Deo vero conueniunt, Diuinitati eius vendicamus. Nos vero, inquiunt isti, omnipotentiam, omniscientiam, & omnipræsentiam, quæ soli Deo vero conueniunt, etiam Humanitati eius communicamus. Nos, inquiunt Patres, duarum naturarum in Christo cognitionem & dictis & factis necessariò facimus: & sic singula factorum & dictorum congruè distribuentes, à vera cognitione Saluatoris non aberramus. At nos, inquiũt isti Nestorio dictum tale: Christus facit hoc vel illud secundum diuinam vel humanam, & non secundum vtranq; naturam, attribuimus. Denique* nos, *inquit Damascenus Patrum nomine,* Diuinitatem dicentes, non de illa nominamus ea quæ humanitatis sunt propria: néque de carne. 1. humanitate prædicamus ea, quæ Deitatis sunt propria, sed de ὑποστάσει, siue ex vtraque, siue ex vna naturarum eam nominemus, vtriúsque naturæ, propria illi adijcimus. *Nos vero inquiunt isti, Diuinitatem nominãtes non quidem humanitatis*

Veteris Orthodoxæ & nouæ vbiquitariæ Theologię dissidium.

lib. 3. ca. 4. Orth. fid,

*propria abstractiuè ei tribuimus: sed tamẽ passionem & mortẽ suo quodã modo ad eam quoq; pertinere ac redundasse docemus: & Ne*

Damasc. lib. 3. ca. 6. *storianos vocamus eos, qui sic loquũtur:* Diuinitas in ipso passa nõ est: sed humana natura passa est in Christo. *De carne verò seu humanitate φυσικὰ simul & ὑπερφυσικὰ & ἀνθφυσικὰ, seu, non tantũ qua humanitatis, sed etiã qua Deitatis sunt propria, vt omnipotentiã, omniscientiam, omnipraesentiã, & alia qua ad causſam nostrã faciũt, etiã abstractiuè praedicari debere cõtendimus. Haec à me nõ confingi sani omnes iudicabũt. Et tamen consensum suum non Orthodoxa vetustate Thrasonicè obijcere nobis audent.*

Regulam de datis: si de proprietatib. Dei intelligatur falsam effici.

*Superest, vt regulam, de* DATIS *seu realiter communicatis Humanitati diuinis idiomatis acceptam, ne verã quidem esse demonstrem. Eius rei primum est argumentum in ipsorum aduersariorum dogmate, de* MVLTIS *tantùm communicatis. At Patres diserte & rectè, cum scripturis* OMNIA *Christo vt homini* DATA *esse sentiunt. Haec igitur* OMNIA *aut sunt idiomata Dei, aut nõ sunt. Si non sunt, frustrà regulam dogmatis sui testem laudant. Si sunt, falsum est ipsorum dogma: non* OMNIA *sed* ALIQVA *tantùm, tria vel quatuor,* DATA *esse At verum esse dogma suum contendunt. Falsa igitur regula, omnibus diuinis idiomatis intellecta, sit oportet. Hic vtrum malunt, eligant: & mala causſa argumentum agnoscent: Si seriò dogma de* MVLTIS *communicatis defendunt: abijciant & damnent cornutum illum suum Achillem, quo nostros supplantari posse olim credebant: Aut nulla, aut aliqua, aut omnia Deitatis idiomata humanitati sunt data. Nulla parũ, dicebant, fuerit: Aliqua etiã sancti habent. Restat vt* OMNIA *seu* OMNES PROPRIETATES *(haec enim ipsorum verba sunt) ei data & impertitas esse concedatur. Si hunc defendere & regulam Patrum deprauere pergunt: ruit modernum eorum figmentum de* MVLTIS *tantùm cõmunicatis. Sed falsum non minus à seipso, quàm à vero dissidet. Vtrunq; à vero alienum esse: &* MVLTA & OMNIA *idiomata Dei humanitati realiter communicari, satis est ipsorum testimonio comprobari. Illud enim olim, sicut-*

Proroc. Mulb. Lat. pag. 64. & 70.

*dum*

dum ipsos, erat falsum. Ergo ne hodie quidem verum fuerit. Istud hodie vt falsum ab ipsis negatur: plurima siquidem excipere in reali sua communicatione coguntur, vt exaquationem & confusionem naturarum effugiant. Quare non minus tunc etiam erat falsum, cùm vt verissimum ab illis defenderetur.

Secundò, cornutum illum Achillem in ipsos retorqueo. Aut omnia aut aliqua, aut nulla Idiomata Deitatis humanitati realiter data sunt. Non OMNIA: quia ipsimet iam tantum de MVLTIS disputant: & sequeretur essentia diuina multiplicatio: neq; etiam quisquam hæreticorum ita vnquam insanijt: vt Humanitatem dixerit æternam, Spiritum, increatam, ex Patris Essentia genitam, creatricem cœli & terræ, incorpoream & infinitam esse. Non QVAEDAM tantùm: Quia omnis plenitudo Deitatis habitat in Christo corporaliter. Hanc verò habitationem si de reali communicatione totius plenitudinis Deitatis cum carne rectè interpretãtur: non possunt ad pauca vel multa omnem plenitudinem restringere. Omnia enim idiomata ἀδιαιρέτως sunt ipsa simplicissima & ἀμέριστος Deitatis essentia: qua cuicunq; communicatur, tota communicatur, vt Filio & Spiritui sancto per æternam generationem ac processionem: & Homini Christo per vnionis gratiam. Relinquitur ergo, nulla Deitatis Idiomata sic realiter humanitati data esse, vt de ea abstractatiuè prædicari possint: eoq; regulam Patrum ad realem illam communicationem falsò detorqueri. 2.

Accedit, quod Patres perpetuò addunt: ideò Christum hominem Omnia à Patre accepisse, vt ea tanquã caput in nos sua membra deriuaret. Videatur Cyrillus in Thesauro lib. 8. & 10. Athanasium item contra Apollinar: At essentialia Dei idiomata nobis à Christo communicari, nemo sanus dixerit: quamuis Scriptura rectè dicat, nos in ipso participes fieri diuinæ naturæ: Et Cyrillus aliquoties, nos licèt natura homines simus, gratiâ tamen in Christo Deos factos esse. 3.

Adde, quod idem Cyrillus passim hanc caussam reddit, cur Christus, vt Deus est, creatitia dona accepisse dici non possit: quia 4.

*vt Deus ijs non egebat. Si igitur etiam, vt Homo, diuinas proprietates accepit: certè creatitia dona & χαρίσματα insuper accepisse dicendus non erit. Quorsum enim finita dona ei, natura, qua infinitis realiter prædita est?*

5. *Deniq; Christus omnia sibi à Patre datæ esse dicit: & Patres eum tam à seipso quam à Patre omnia accepisse scribunt. Hinc, si glossa vbiquitaria de datis h.e. communicatis realiter humanitati vi vnionis essentialibus Dei proprietatibus vera sit, sequitur tàm patris quàm λόγυ incarnatio, qui error Sabellij & Patrispassianorum fuit: vt suprà quoque ostensum est.*

Tabella explicans doctrinã de ijs quæ Christo sunt data.

*Nunc, vt totum hoc argumentum illustrem, & ὁμωνυμία vocabuli* DANDI *facilius agnoscatur: vniuersam eorum, quæ tum in Scriptura tum apud Patres Christo* DATA *esse leguntur, doctrinam ὡς ἐν τύπῳ iuniorum oculis subijciam.*

*Christo* DATA *sunt alia ante vnionem: alia in vnione: alia post vnionem.*

Data Christo.

Ante vnionem.

*Ante vnionem, h.e. ab æterno,* DATA *est τῷ λόγῳ per æternam generationem tota Patris essentia, potentia & vita: de qua æterna communicatione essentiæ loquitur ipse Dominus Ioh. 5. 26.*

1. Sicut Pater habet vitam in seipso, sic dedit etiam Filio habere vitam in seipso. *Et sic non modò hunc locum, sed & illum Matth. 11. 27.* Omnia mihi sunt tradita à Patre meo; *alios q; similes Cyrillus Thesau. lib. 10. cap. 1. interpretatur. Data etiam, h.e. æterno Sacrosanctæ Trinitatis decreto assignata est τῷ λόγῳ, Mediatoris prouincia siuè officium inter Deum & genus humanum, quod ab initio quidem, vsq; ad plenitudinem temporis, sine carne: demùm verò In & Cum carne humana assumta, subiret, ageretq;, vt Pontifex, caput & Rex Ecclesiæ, iuxta decretum Patris:* Sede à dextris meis, donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum.

2. Psal. 110. 1.

Data in vnione.

*In vnione & per vnionem,* DATA, *h.e. operatione Spiritus sancti formata & personaliter vnita est τῷ λόγῳ massa humana: sicut dicitur:* Assumsit semen Abrahæ: Accepit formam serui: *& vicissim Carni seu massæ humanæ* DATA, *h.e.*

1. Hebr. 2. 16. Phil. 2. 7.

perso-

*personaliter vnita est natura verbi, vt in hac massa habitaret tota Deitas corporaliter: sed sine mutatione ac permixtione tùm naturarum, tùm idiomatum quoq; essentialiũ. Non litigo de phrasi: sed rem ipsam explico. Damascenus non abhorret ab hac phrasi: Deitas est vnita humanitati: licet hanc reÿciat: Deitas est incarnata & homo facta.* Lib. 3. c. 11.

*DATA etiam atq; imposita est in ipso vnionis articulo τῷ λόγῳ ἀνθρώπῳ seu incarnato (non seorsum vel λόγῳ vel carni, neq; etiam, si propriè loquamur, & λόγῳ & carni, sed λόγῳ incarnato secundum vtranq; formam) executio totius officiÿ Mediatoris, distinctis sed coniunctis naturarum voluntatibus, viribus, & actionibus suo tempore peragenda, docendo, edendo miracula, patiendo, moriendo, resurgendo, ascendendo in cælũ, ac thronum dextræ Dei occupãdo, ad Patris æterni gloriam, & generis humani salutem. Hunc spectant dicta Ioh. 5. 27. Dedit ei potestatem iudicium exercendi, quatenus Filius hominis est. Matth. 9. 6. Vt sciatis Filium hominis autoritatem habere in terra remittendi peccata. Ioh. 17. 2. Dedisti ei autoritatem in omnem carnem vt quotquot dedisti ei, det eis vitam æternam. Et illud etiam post resurrectionem: Matt. 28. 18. Data est mihi omnis potestas in cælo & in terra.* 2.

*Denig; post vnionem Data sunt Christo, quadam secundùm Humanitatem: quadam secundùm officium, siquidem propriè loquendum sit. Secundùm Humanitatem, etiam in statu humiliatis Data sunt ætatis, staturæ, & sapientiæ incrementa Luc. 2. 52. Dona Spiritus sancti non ad mensuram Ioh. 3. 34. Et in statu Gloriæ per euectionem ad dextram Dei, ineffabilis supra omnes creaturas & Angelos eminentia, dignitas, potentia & perfectio. Heb. 1. 4. Hæc χαρίσματα Patres vocant. Secũdùm officium Christo, non quatenùs vel Deus vel Homo tantùm, sed quatenùs Mediator ἀνθρωπος, post resurrectionem DATA est omnis potestas in cælo & in terra: non quam prius non habuerit: sed quam tunc demum, in collectione & gubernatione Ecclesiæ per vocem ministerÿ & Spiritus sancti virtutem, manifestè & gloriosè exe-* Data post vnionem. 1. 2.

*reret sicut ipse Dominus infert:* Data est mihi omnis potestas: Profecti ergo docete omnes gentes. *Post ascensionem verò, summus exaltationis gradus in Sacerdotio & Regno, vt non modò esset, sed palàm etiam ab omnibus creaturis tanquam Rex & Caput Ecclesiæ, totiusq; mundi* παντοκράτωρ *ac Dominus agnosceretur, inuocaretur, ac coleretur. Nam semper quidem plenitudo Deitatis habitabat in carne: Sed tunc demùm Maiestas & gloria verbi in carne assumta ineffabiliter relucere cœpit, datumq; est ei, secũdum Apostolum, nomen super omne nomen, vt ad nomen Iesu se flectat omne genu cœlestium, terrestriũ & subterraneorum.*

Phil. 2. 9.

Ioh. 17. 5.

Thes. li. 10. cap. 9.

*Et de hac manifestatione gloriæ verbi in carne Cyrillus interpretatur petitionem illam Christi:* Ἐν νῦν δόξασόν με *&c. eò quòd δόξα, vnde* δοξάζειν *verbum est, modò gloriam, modò opinionem significet: quam interpretationem nunc in medio relinquo. Hæc verò quæ postremo loco DATA esse dixi, propriè* ἀξιώματα *officij Mediatoris exaltati appellantur: quæ non modò ab essentialibus* τοῦ λόγου *idiomatis: sed à carnis etiam habitualibus donis ac virtutibus ratione quadam discernuntur; quippè quæ non naturis seorsum vel absolutè: sed personæ* θεανθρώπῳ *vt ipsum quoque officium, competunt.*

*Hanc tabellam toti controuersiæ lucem afferre iudico: & qui in conspectu eam habuerint, facile ex his & similibus tricis sese expedient, cum obijcitur: Quicquid datum est Christo, vel secundum Deitatem, vel secundum Humanitatem datum est. Deitati nihil dari potest. Ergo Humanitati: Data autẽ sunt omnia: Hæc omnia non sunt tantùm creata dona: scilicet & Dei idiomata, omnipotentia, omnipræsentia, &c.*

Conclusio

*Hactenus, qua potui, breuitate & facilitate vniuersam controuersiam vbiquitariam explicaui: nõ vt læderem quenquam, sed vt iuniorum iudicia in veritatis caussa cognoscenda, meo etiam loco iuuarem. An, quod volui, sum assecutus, aliorum fuerit iudicare. Hoc saltem scio, præcipua totius caussæ momenta me sic indicasse hac methodo, vt plura quidem & prolixiora de ea disputari possint: pauciora & magis certa non possint. Statum quidem in*

*tertio*

*in tertio prædicationum genere versari ostendi. At nemo existimet litem de phrasibus tantùm esse* ἔστι γὰρ ἐν τῇ φωνῇ τῶν ἐν τῇ ψυχῇ παθημάτων σύμβολα, *inquit Aristoteles.* De interpret. cap. 1. *Non igitur est dubium, quin aduersarij abstractiuis illis phrasibus de omnipotentia, omniscientia, omnipræsentia &c. Carnis Christi, ad imitationem quarundam, quas ex vetustis patribus, sed perperam inflexas suis admiscent, nouè conflictis & in Theologiam inuectis, receptam ac verã Ecclesia de Personali vnione doctrinam interpolare, & nouam, Scripturæ ignotam, multisq; modis noxiam & periculosam posteritati obtrudere conentur, tantùm, vt sarta tecta maneat carnis Christi in pane corporalis præsentia, & oralis atq; impiorum manducatio. Ad omnia Scriptura loca, quæ quidem hactenus caussa sua fauere existimarunt, modestè respondi: atq; ostendi, exempla ad regulam non quadrare: eoq; iam non scripturæ testimonijs, sed glossis humanis illam magna ex parte niti: quæ quàm sint firmæ, ex ijs, quæ ad duo argumenta postremò responsa sunt, liquet.*

*Dominus sanctificet electos omnes in veritate sua: vt eius amore studio, quod profitemur, seriò accensi, errores veterum ac recentium hæreseωn totis pectoribus execremur: positaq; ambitione, odijs & affectibus alijs, pessimis in religione consultoribus, paci Ecclesiæ pro se quisq; consulere annitamur: vt sicut baptizati sumus, ita credamus: & sicut credimus, ita loquamur ac profiteamur vnum Dominum & seruatorem nostrum Iesum Christum verè θεάνθρωπον: cui cum æterno Patre & Spiritu sancto sit honor & gloria in secula.*

AMEN.